MISSÆ PROPRIÆ

PRO

DIŒCESIBUS BRITANNIÆ

MECHLINIÆ

H. DESSAIN

SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREG. RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE NECNON ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS

Imprimé en Belgique — Printed in Belgium

ABBREVIATIONES

DIŒCESIUM ANGLIÆ ET CAMBRIÆ

West. = Westmonasteriensis.
Liv. = Liverpolitana.
Birm. = Birmingamiensis.
Card. = Cardiffensis.
Brentw. = Brentwoodensis.
Clift. = Cliftoniensis.
Hag.-Nov. = Hagulstadensis et Novocastrensis.
Lanc. = Lancastrensis.
Loid. = Loidensis.
Mediob. = Medioburgensis.
Menev. = Menevensis.
North. = Northantoniensis.
Nott. = Nottinghamensis.
Plym. = Plymutensis.
Port. Mag. = Portus Magni.
Salf. = Salfordiensis.
Salop. = Salopiensis.
Southw. = Southwarcensis (vel Suthwarcensis.)

KALENDARIUM FESTORUM
PRO
DIŒCESIBUS ANGLIÆ ET CAMBRIÆ

FOL.

NOVEMBER

29. West., Lanc., Liv., North., Plym. B. Cuthberti Maine M. d. 1

DECEMBER

1. Brentw. B. Joannis Beche M. d. 1
- West. Bb. Ricardi et Soc. Mm. d. 2
- North., Port. Mag. B. Edmundi Campion et Soc. Mm. d. 3
- Birm. Bb. Mart. Univers. Oxon. d. 3
- Nott. B. Ranulphi Sherwine M. d. 3

4. West., Clift., Plym. S. Osmundi E. C. d. 3, 4
5. Birm., Port. Mag. S. Birini E. C. d. 4
10. Mediob. Transl. almæ Domus B. M. V. dm. 4
29. In tota Anglia et Cambria S. THOMÆ CANTUARIENSIS E. M. d. 2 cl. (North. d. 1 cl. cum Oct.). 4
30. Birm. S. Egwini E. C. d. 4

JANUARIUS

12. Southw. Com. S. Benedicti Biscopi Abb. 4
14. Liverp., (dm.) Menev., Salf. S. Kentigerni E. C. d. 4
16. North. S. Fursæi Abb. d. 5
19. Birm., Clift., North. S. Wolstani E. C. d. 5
— Lanc. S. Kentigerni E. C. d. 4
— Liverp. S. Benedicti Biscopi Abb. d. 4

FEBRUARIUS

1. Cardiff., Menev., (d.) Port. Mag. (Com.) S. Brigidæ V. 5
3. Birm., Salop. S. Werburgæ V. d. 5
- Westm., Southw. S. Laurentii E. C. d. 5

4. Hag.-Nov. Bb. Thomæ Plumtree et Soc. Mm. d. 5
9. Cardiff. S. Teili E. C. d. 5
13. Hag.-Nov. S. Benedicti Biscopi Abb. d. 6
16. North., Nott. S. Gilberti Conf. d. 6
17. Lanc. S. Finani E. C. d. 6
23. Salop. S. Milburgis V. d. 6
24. (a. b. 25) Nott. Com. S. Æthelberti Regis C. 6
25. (a. b. 26) Westm., Southw. (North. 26 - a. b. 27). S. Æthelberti Regis C. d. 6
— Plym. S. Walburgæ V. d. 6
28. (a. b. 29) Birm. S. Oswaldi E. C. d. 6

MARTIUS

1. Menev., Cardiff. S. DAVID E. C., Patron. Princ. Cambriæ, d. 1 cl. cum Oct. extra Quadr. West., Port. Mag. d. 6
2. Birm. (d. 1 cl. cum Oct. extra Quadr.) Hag.-Novoc., Liverp., Loid., Mediob., Nott., (s.) Salf., Salop. S. Ceaddæ E. C. d. 6
3. Hag.-Nov., Liverp., Mediob., Nott. (s.) S. Ælredi Abb. d. 7
8. North. S. Felicis E. C. dm. 7
11. Brentw. B. Joannis Larke M. d. 7
12. In tota Anglia et Cambria S. Gregorii I P. C. D. Angl. Apost. dm. (Hag., Lanc., Liverp., Nott., Salop. d.). 7

FOL.

13. Birm. B. Agnelli a Pisis C. d. 7
18. Plym. S. Eduardi Regis M. d. 8
20. Hag.-Nov. (d. 1 cl.), Lanc., (dm.) Liverp., Salop. S. Cuthberti E. C. d. 8
28. Plym. S. Stephani Abb. sd. 8
30. Birm. S. Osburgæ V. d. 8

APRILIS

2. North. B. Joannis Payne M. d. 8
3. Brentw. B. Joannis Payne M. d. 8
- Westm., Birm., Southw. S. Ricardi E. C. d. 8

17. Westm. S. Stephani Abb. sd. 9
19. Westm., Clift., Port. Mag., Southw. S. Ælphegi E. M. d. 9
21. Menev. S. Beunonis Abb. d. 9
23. In tota Anglia S. GEORGII M. Patron. Princ. Angliæ. d. 1 cl. cum Oct. (Cardiff. extra Comitat. Hereford., Menev. dm.) 9
24. Westm., Brentw. S. Melliti E. C. dm. Southw. d. 9
— Hag.-Nov. S. Egberti C. d. 10
27. Liverp. S. Macaldi E. C. d. 10

MAJUS

4. In tota Anglia et Cambria Bb. Mm. Anglicorum. dm. (Clift. d.) 10
6. Hag.-Nov. Com. S. Eadberti E. C. 12
7. Hag.-Nov. S. Joannis de Beverlaco E. C. d. 12
11. Westm. Bb. Mm. Carthusianorum. d. 14
— Brentw. B. Joannis Houghton M. d. 13
— Loid., Mediob. Bb. Joannis Rochester et Jacobi Walworth et Soc. Mm. d. 12
— Menev. S. Asaphi E. C. d. 14
— Southw. S. Erconwaldi E. C. sd. 14
— Hag.-Nov. in Coll. S. Aloisii tant. Ss. Bassi et Fabii Mm. et S. Lucinæ Matr. d. 13
13. Westm., Brentw. S. Erconwaldi E. C. dm. 14
14. Westm. B. Ricardi Reynolds M. d. 14
16. Birm., North., Southw. S. Simonis Stock C. d. 15
19. Westm., Birm. (dm.), Brentw., Clift., Southw. S. Dunstani E. C. d. 15
20. Cardiff., North. S. Ethelberti Regis M. d. 15
21. Brentw. B. Joannis Haile M. d. 15
24. Menev., Salop. B. M. V. sub tit. Auxil. Christ. d. 1 cl. cum Oct. 15
25. Clift., Plym. S. Aldhelmi E. C. d. 15
26. In tota Anglia et Cambria S. AUGUSTINI E. C. d. 2 cl. 16
27. Hag.-Nov. S. BEDÆ VEN. C. D. d. 2 cl. (ut in Missali.)
28. Southw. S. Aldhelmi E. C. sd. 17
— Westm., Birm., Brentw., Clift., Port. Mag. B. Margaritæ Pole Vid. M. d. 17
30. Westm., Port. Mag. S. Eleutherii P. M. d. 17
31. Hag.-Nov., Loid. B. M. V. omn. grat. Mediatr. dm. 17
— Birm. Fer. iii infra Hebd. IV post Oct. Pasch. Translatio S. Ceaddæ E. C. d. 2 cl. 18

Kalendarium Festorum

JUNIUS

Fol.

1. Cardiff., Menev. B. M. V. omn. grat. Mediatr. dm. 17
5. Plym. S. Bonifatii, Patr. Princ. Diœc. d. 1 cl. cum Oct. 18
7. Plym. S. Willibaldi E. C. d. 18
— Hag.-Nov. S. Roberti Abb. d. 18
8. Lanc., Liverp., Loid., Mediob., Salf. S. Gulielmi E. C. d. Hag.-Nov. sd. Nott. s. 18
9. Port. Mag., Brentw. (Westm. in Coll. S. Edmundi) Transl. S. Edmundi E. C. dm. 18
10. Westm., Brentw. S. Margaritæ Regin. Vid. d. (ut in Missali.)
17. Brentw., North., Nott. S. Botulphi Abb. d. 19
19. Birm. Bb. Sebastiani et Humphreii Mm. d. 19
22. In tota Anglia et Cambria S. Albani Protom. Brit. dm. (Brentw. die 23) 19
23. Westm., Birm., Hag.-Nov., Liverp., North. S. Etheldredæ V. d. 19
27. Loid., Mediob. B. M. V. de Perpetuo Succursu. d. 1 cl. cum Oct. 20

JULIUS

3. Cardiff. Ss. Julii et Aaron Mm. d. 20
4. Plym. Bb. Joannis Cornelii et Soc. ac Hugonis Green Mm. d. 20
7. Birm. Com. S. Heddæ E. C. 20
— In Civitt. Cantuar. et Port. Mag. Translatio S. Thomæ Cantuar. E. M. dm. 20
9. In tota Anglia et Cambria Ss. JOANNIS FISHER E. et THOMÆ MORE Mm. d. 1 cl. 20
11. Birm. B. Hadriani Fortescue M. d. 23
— Clift. B. Oliverii Plunket E. M. dm. 23
15. Port. Mag. (d.), Southw. (sd.) S. Swithuni E. C. 23
16. Port. Mag. Com. S. Helerii M. 23
17. Cardiff., Menev. B. M. V. in Porticu. dm. 24
— Birm., Clift. Com. S. Kenelmi Regis M. 25
28. Cardiff. S. Samsonis E. C. d. 25
30. North. B. Everardi Hanse M. d. 25
— Menev., Cardiff. Bb. Eduardi et Soc. Mm. d. 25
— Plym. S. Germani E. C. dm. 25
31. Port. Mag. Com. S. Germani E. C. 25

AUGUSTUS

3. Cardiff., Menev. S. Germani E. C. d. 25
5. Nott. Com. S. Oswaldi Regis M. 26
8. Westm. S. Oswaldi Regis M. d. 26
9. Hag.-Nov., Lanc., Mediob., Salop. S. Oswaldi Regis M. d. 26
11. Westm. S. Germani E. C. d. 26
— Liverp. S. Oswaldi Regis M. d. 26
— Lanc. S. Joannis Mariæ Vianney C. d. 26
18. Brentw. (d. 1 cl. cum Oct.), Salf. (d.), Liverp. (sd.) S. Helenæ Imperatr. Vid. 26
26. Hag.-Nov. Loid., Mediob. B. Thomæ Percy M. d. 26
— Birm. B. Joannis Wall M. d. 27
31. Hag.-Nov., Lanc., Liverp., Mediob., North., Port. Mag., Salop. S. Aidani E. C. d. 27

SEPTEMBER

Fol.

1. Brentw. S. Sebbi Regis C. d. 28
— Nott. B. Hugonis More M. d. 28
— Birm. S. Aegidii Abb. d. (ut in Missali).
3. Brentw. Ss. Hildelithæ et Cuthbergæ Vv. d. 28
4. Hag.-Nov. Translatio S. Cuthberti. dm. 28
6. Lanc. S. Begæ V. d. 28
11. Menev. S. Danielis E. C. d. 28
16. Hag.-Nov., Lanc. S. Niniani E. C. d. 28
— Clift. Com. S. Edithæ V. 29
19. Westm., Brentw., Salf., Southw. S. Theodori E. C. d. (Hag. Com.) 29
25. Menev., Cardiff. S. Cadoci E. M. d. 29
26. Lanc. S. Theodori E. C. d. 29
30. Nott., Southw. Com. S. Honorii E. C. 29

OCTOBER

3. Salop. (d.), Birm. (Com.) S. Thomæ Hereford. E. C. 29
5. Cardiff. (dm.), Salf. (d.) S. Thomæ Hereford. E. C. 29
8. Clift. Com. S. Keynæ V. 29
10. Hag.-Nov., Lanc., Liv., Loid., Mediob., Nott., Southw. S. Paulini E. C. d. 29
12. Brentw. S. Ædilbergæ V. d. 29
— Hag.-Nov., Lanc., Liv., Loid., (dm). Mediob. (dm.), Nott. (s.), North., Salop., Birm., Port. Mag. (dm.), Southw. S. Wilfridi E. C. d. 30
13. In tota Anglia et Cambria S. EDUARDI REGIS C. d. 2 cl. (Westm., Brentw. dm. In civit. Westm. d. 1 cl. cum Oct.) 30
19. Birm. S. Frideswidæ vel Fredeswindæ V. dm. 30
21. Mediob. S. Joannis de Bridlington C. d. 30
22. Westm. S. Thomæ Hereford. E. C. d. 31
24. Port. Mag. Com. S. Maglorii E. C. 31
25. Mediob. (dm.), Liv., Loid. S. Joannis de Beverlaco E. C. d. 31
26. Lancastr. S. Eatæ E. C. d. 31
29. Westm. Bb. Mm. Duacensium. d. (Hag. die 30. dm.) 31

NOVEMBER

3. Menev., Salop. S. Winefridæ V. dm. 31
5. West., Birm., Brentw., Cardiff., Menev., Hag.-Nov., Lancastr., Liverp., Port. Mag. Ss. Reliquiarum. dm. 32
6. Cardiff. S. Illtuti Abb. dm. 32
7. Hag.-Nov. S. Willibrordi E. C. sd. 32
10. Southw. S. Justi E. C. d. 32
14. Cardiff. S. Dubritii E. C. d. 32
— Port. Mag. Com. Bb. Hugonis Cook et Soc. Mm. 32
15. Clift. Bb. Ricardi Whiting et Soc. Mm. d. 33
16. Ubique (exc. Cardiff., Menev., Lanc., Hag.-Nov., Nott.) S. Edmundi E. C. dm. 33
17. Mediob. S. Hildæ V. d. 34
— Nott. (d. 2 cl)., Westm., Birm., Clift., North. S. Hugonis E. C. d. 35
20. Westm., North. S. Edmundi Regis M. dm. 35
27. Clift. S. Cungari Abb. s. 35

MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM
DIŒCESIUM
ANGLIÆ ET CAMBRIÆ

DIE 29 NOVEMBRIS

B. CUTHBERTI MAINE
Martyris

(In Diœc. Westmonast., Lancastr., Liverpol., Northant. et Plymuten.)

Missa In virtúte tua, de Comm. unius Mart. 3 loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, qui beáto Cuthbérto ante céteros Seminariórum alúmnos cruciátuum iter pro salúte animárum cúrrere dedísti : concéde nobis propítius ; ut, eódem animórum zelo accénsi, vitam nostram pro áliis impéndere non dubitémus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1

Caríssimi : Omne gáudium existimáte, cum in tentatiónes várias incidéritis : sciéntes, quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet : ut sitis perfécti et íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat : et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans ; qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur, et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille, quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua : Dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit : exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit : ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

DIE 1 DECEMBRIS

B. JOANNIS BECHE Martyris
(In Diœc. Brentwooden.)

Missa Víneam de Ægypto, ut in Festo Bb. Ricardi Whiting et Soc. Mm. infra hac die, cum Orationibus sequentibus :

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósum Abbátem Joánnem pro unitáte ecclésiæ tuæ Mártyrem fortem in sua confessióne cognóvimus ; pium apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Secreta

Beáti Abbátis et Mártyris tui Joánnis, quæsumus, Dómine, sit tibi grata conféssio : quæ et múnera nostra comméndet, et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum.

Postcommunio

Quæsumus, Dómine, ut beáti Mártyris tui Joánnis deprecatióne, Sacraménta sancta, quæ súmpsimus : nobis ad mundi despéctum et ad fídei firmaméntum profíciant. Per Dóminum.

EADEM DIE 1 DECEMBRIS

Bb. RICARDI WHITING, HUGONIS FARINGDON ac JOANNIS BECHE Abbatum cum SOCIIS EORUM Martyrum

(In Diœc. Westmonasterien.)

Introitus Ps. 79

Víneam de Ægypto transtulísti : ejecísti Gentes, et plantásti eam. Opéruit montes umbra ejus : et arbústa ejus cedros Dei. Ps. ibid. Qui regis Israël inténde : qui dedúcis velut ovem Joseph. ℣. Glória Patri.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósos Abbátes eorúmque Sócios pro unitáte Ecclésiæ tuæ Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus ; pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jerem. 5

Recordáre, Dómine, quid accíderit nobis : intuére, et réspice oppróbrium nostrum. Heréditas nostra versa est ad aliénos : domus nostræ ad extráneos. Pupílli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi víduæ. Aquam nostram pecúnia bíbimus : ligna nostra prétio comparávimus. Cervícibus nostris minabámur, lassis non dabátur réquies. Ægypto dédimus manum et Assyriis ut saturarémur pane. Patres nostri peccavérunt, et non sunt ; et nos iniquitátes eórum portávimus.

Graduale Isai. 51 Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus ; et ponet desértum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. ℣. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio et vox laudis.

Allelúja, allelúja. ℣. Te Mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 16

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit : Tu es Christus Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus dixit ei : Beátus es Simon Bar Jona : quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam.

Offertorium Isai. 51 Atténdite ad petram unde excísi estis. Atténdite ad Abraham patrem vestrum : quia unum vocávi eum, et benedíxi ei, et multiplicávi eum.

Secreta

Beatórum Abbátum ac Mártyrum tuórum, quæsumus, Dómine, Ricárdi, Hugónis, Joánnis et Sociórum sit tibi grata conféssio : quæ et múnera nostra comméndet, et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum.

Communio Ps. 79 Réspice de cælo, et vide, et vísita víneam istam ; et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua.

Postcommunio

Quæsumus, Dómine, ut beatórum Mártyrum tuórum Ricárdi, Hugónis, Joánnis, eorúmque Sociórum deprecatiónibus : sacraménta sancta, quæ súmpsimus ; nobis ad mundi despéctum et ad fídei firmitátem profíciant. Per Dóminum.

EADEM DIE 1 DECEMBRIS

Bb. EDMUNDI CAMPION et SOCIORUM Martyrum

(In Diœc. Northant. et Portus Magni)

Missa Intret, de Comm. plur. Mm. 1 loco, præter sequentia :

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui ad imáginem tuæ passiónis beátos Edmúndum et Sócios sacerdótes tuos proditióne, torméntis ac probrósa morte decorásti : da ut, eórum méritis et intercessióne, Crucem tuam constánter feréntes ; ad ætérnam glóriæ corónam perveniámus. Qui vivis.

Epistola Sancti per fidem, ut in Festo Ss. Fabiani et Sebastiani Mm. die 20 Januarii in Missali.

EADEM DIE 1 DECEMBRIS

Bb. MARTYRUM UNIVERSITATIS OXONIENSIS

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa Intret, de Comm. plur. Mm. 1 loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, qui veræ fídei et Sedis Apostólicæ primátui propugnándo beátos Mártyres tuos Edmúndum ejúsque Sócios invícta fortitúdine roborásti : eórum précibus exorátus nostræ, quæsumus, infirmitáti succúrre ; ut fortes in fide adversário resístere usque in finem valeámus. Per Dóminum.

Epistola Respóndit, ut in Festo Ss. Mauritii et Soc. Mm. die 22 Septembris in Missali.

Secreta

Sint tibi, Dómine, plebis tuæ múnera beatórum Mártyrum tuórum commemoratióne gratióra, nobísque fiant sancta oblatióne ac participatióne ad vitam ætérnam salutária. Per Dóminum.

Postcommunio

Dómine Jesu Christe, quem in caritáte beatórum Mártyrum tuórum mirábilem prædicámus : da nobis, quæsumus, eórum précibus ; ut in tua semper dilectióne maneámus : Qui vivis.

ITEM EADEM DIE 1 DECEMBRIS

B. RANULPHI SHERWINE Martyris

(In Diœc. Nottingam.)

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco.

DIE 4 DECEMBRIS

S. OSMUNDI Ep. et Conf.

(In Diœc. Westmonast. et Plymuten.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., præter Orationes sequentes :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos beáti Osmúndi Confessóris tui atque Pontíficis hodiérna festivitáte lætíficas : tuam súpplices exorámus cleméntiam ; ut, cujus solémnia devótis offíciis venerámur, ejus piis suffrágiis, ætérnæ vitæ glóriam consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Múnera nostra, quæsumus, Dómine, méritis et intercessiónibus muníficí Confessóris tui Osmúndi sanctífica : ut in Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi corpus et sánguinem convertántur ; et ad nostrárum profíciant salútem animárum. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, munéribus sacris, te súpplices deprecámur : ut eórum virtúte roboráti, beáti Osmúndi Confessóris tui atque Pontíficis imitémur exémpla ; et ad gáudia perveniámus ætérna. Per Dóminum.

(In Diœc. Clifton.)

Omnia ut in Missa præcedenti, præter Secretam et Postcommunionem ut sequitur:

Secreta

Propitiáre, Dómine, quæsumus, supplicatiónibus nostris: et, intercedénte pro nobis beáto Osmúndo Confessóre tuo atque Pontífice, his sacraméntis cæléstibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde; ut, purificánte nos grátia tua, iísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, Dómine Deus noster: ut divínis mystériis expiáti, intercedénte beáto Osmúndo Confessóre tuo atque Pontífice, ad supérni plenitúdinem sacraménti, cujus libávimus sancta, tendámus. Per Dóminum.

DIE 5 DECEMBRIS

S. BIRINI Ep. et Conf.

(In Diœc. Birmingamien. et Portus Magni)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 10 DECEMBRIS

TRANSLATIO ALMÆ DOMUS B. MARIÆ VIRGINIS

(In Diœc. Medioburgen.)

Missa Terríbilis, ut in Appendice Missalis pro aliquibus locis hac die.

DIE 29 DECEMBRIS

S. THOMÆ CANTUARIENSIS Ep. et Mart.

(In tota Anglia et Cambria)

Omnia ut in Missali hac die.

DIE 30 DECEMBRIS

S. EGWINI Ep. et Conf.

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem seq.:

Oratio

Deus, qui hodiérna die beáti Egwíni Confessóris tui atque Pontíficis ánimam ad ætérna gáudia transtulísti: da nobis, ejus précibus, illuc humíliter téndere, quo pastor gloriósus, te ducénte, præcéssit. Per Dóminum.

DIE 12 VEL 19 JANUARII

S. BENEDICTI BISCOPI Abbatis

(In Diœc. Southwarcen. [Com.], [Liverpol. die 19])

Missa Os justi, de Comm. Abbatum, præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, cujus múnere beátus Benedíctus Abbas, ut perféctus esset, ómnia relíquit: da cunctis evangélicæ perfectiónis sémitam ingréssis; ut nec retro respíciant, nec hæreant in via, sed ad te sine offensióne curréntes vitam ætérnam apprehéndant. Per Dóminum.

DIE 14 VEL 19 JANUARII

S. KENTIGERNI Ep. et Conf.

(In Diœc. Liverpolit., Salfordien., Lancastren. [die 19] et Menevien.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., cum Orationibus sequentibus:

Oratio

Deus, qui per beátum Kentigérnum Confessórem tuum atque Pontíficem veræ fídei lumen bárbaris géntibus splendéscere voluísti: præsta, quæsumus; ut, quod ipse prædicávit et dócuit fidéliter sectántes, ætérnæ claritátis glóriam consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Majestáti tuæ, quæsumus, Dómine: in honórem sancti Kentigérni Pontíficis hoc munus oblátum sanctífica; ut tibi sit ac-

ceptábile, nobísque salúbre. Per Dóminum.

Postcommunio

Divínis recreáti mystériis, quæ in sancti Kentigérni Pontíficis solemnitáte, tuæ obtúlimus majestáti : te, Dómine, supplíciter exorámus ; ut per ipsum et cum ipso gáudiis ætérnis perfruámur. Per Dóminum.

DIE 16 JANUARII

S. FURSÆI Abbatis

(In Diœc. Northantonien.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum.

DIE 19 JANUARII

S. WOLSTANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Birmingamien., Cliftonen. et Northant.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde : ut, intercedénte beáto Wolstáno Confessóre tuo atque Pontífice, tuam mereámur dulcédinem in ætérna felicitáte gustáre. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, súpplicis famíliæ tuæ munus oblátum : et quod rea non audet speráre consciéntia ; intercedénte beáto Wolstáno, tua nobis largiátur indulgéntia. Per Dóminum.

Postcommunio

Salutáris tui, Dómine, mystério satiáti : súpplices implorámus cleméntiam tuam ; ut pro nobis ejus non desit orátio, cujus nos donásti gubernári patrocínio. Per Dóminum.

DIE 1 FEBRUARII

S. BRIGIDÆ Virginis

(In Diœc. Portus Magni [Com.], Cardiffen. et Menevien.)

Missa Dilexísti, de Comm. Virginum 3 loco, cum Oratione ut infra :

Oratio

Deus, qui nos hodiérna die beátæ Brígidæ Vírginis tuæ ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut ejus adjuvémur méritis, cujus castitátis irradiámur exémplis. Per Dóminum.

DIE 3 FEBRUARII

S. WERBURGÆ Virginis

(In Diœc. Birmingamien. et Salopien.)

Missa Dilexísti, de Comm. Virginum 3 loco.

DIE 3 FEBRUARII

S. LAURENTII Ep. et Conf.

(In Diœc. Westmonast. et Southwarcen.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

DIE 4 FEBRUARII

Bb. THOMÆ PLUMTREE et SOCIORUM Mm.

(In Diœc. Hagulstad. et Novocastren.)

Missa Intret, de Comm. plur. Mm. 1 loco, præter Orationem seq. :

Oratio

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Thomæ et Sociórum ejus solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

DIE 9 FEBRUARII

S. TEILI Ep. et Conf.

(In Diœc. Cardiffen.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 13 FEBRUARII

S. BENEDICTI BISCOPI Abb.
(In Diœc. Hagulstad. et Novocastren.)
Missa ut supra 4, die 12 Januarii.

DIE 16 FEBRUARII

S. GILBERTI Confessoris
(In Diœc. Northanton. et Nottingamen.)
Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont. 2 loco.

DIE 17 FEBRUARII

S. FINANI Ep. et Conf.
(In Diœc. Lancastren.)
Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 23 FEBRUARII

S. MILBURGIS Virginis
(In Diœc. Salopien.)
Missa Dilexísti, de Comm. Virg. 3 loco.

DIE 24, 25 VEL 26 FEBRUARII

S. ÆTHELBERTI Regis, Conf.
(In Diœc. Nottingam. [die 24], Southwarc. et Westmonast. [25] ac Northant. [26])
Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco.

Oratio

Deus, qui beátum regem Æthelbértum Confessórem tuum æternitátis glória coronásti : fac nos, quæsumus ; ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in cælis. Per Dóminum.

DIE 25 FEBRUARII

S. WALBURGÆ Virginis
(In Diœc. Plymuten.)
Missa Dilexísti, de Comm. Virg. 3 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui inter innúmera grátiæ tuæ dona, étiam in sexu frágili tua operáris magnália : concéde propítius ; ut beátæ Walbúrgæ Vírginis tuæ apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cujus non solum castitátis illustrámur exémplis, verum étiam miraculórum glória jucundámur. Per Dóminum.

DIE 28 FEBRUARII

S. OSWALDI Ep. et Conf.
(In Diœc. Birmingamien.)
Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 1 MARTII

S. DAVID Ep. et Conf.
Patron. Princ. Cambriæ
(In Diœc. Westmon., Portus Magni, Cardiffen. et Menev.)
Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Concéde nobis, omnípotens Deus : ut beáti David Confessóris tui atque Pontíficis pia intercéssio nos prótegat ; et dum ejus solémnia celebrámus, in cathólica tuénda fide firmitátem imitémur. Per Dóminum.

DIE 2 MARTII

S. CEADDÆ Ep. et Conf.
(In Diœc. Birming., Hag. et Nov., Mediob., Loid., Salf., Liverpol., Notting., Salop.)
Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos beáti Ceáddæ Confessóris tui atque Pontíficis hodiérna festivitáte lætíficas : tuam súpplices exorámus cleméntiam ; ut, cujus solémnia devótis offíciis venerámur, ejus piis suffrágiis vitæ ætérnæ remédia consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Propitiáre, quæsumus, Dómine: supplicatiónibus nostris, et intercedénte pro nobis beáto Ceádda Confessóre tuo atque Pontífice, tuis sacraméntis cæléstibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde; ut, purificánte nos tua grátia, eísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, divínis mystériis expiáti, intercedénte beáto Ceádda Confessóre tuo atque Pontífice; ad supérni plenitúdinem sacraménti, cujus libávimus sancta, tendámus. Per Dóminum.

DIE 3 MARTII

S. ÆLREDI Abbatis

(In Diœc. Liverpolit., Hagulstad. et Novoc., Mediob. et Nottingamen.)

Missa Os justi, de Communi Abbatum, præter Orationem sequentem:

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui ecclésiæ tuæ fílios sicut non cessas erudíre, ita non désinis adjuváre: da fidélibus tuis intercessióne beáti Ælrédi Abbátis, quem eis ætérnæ salútis minístrum tribuísti; ut sciéntiam, te miserénte, recta faciéndi et possibilitátem cápiant exsequéndi. Per Dóminum.

DIE 8 MARTII

S. FELICIS Ep. et Conf.

(In Diœc. Northanton.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 11 MARTII

B. JOANNIS LARKE Martyris

(In Diœc. Brentwooden.)

Missa Lætábitur, de Comm. unius Mart. 4 loco, præter Epistolam.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 1 Petr. 4

Caríssimi: Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut maledícus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

DIE 12 MARTII

S. GREGORII Papæ, Conf. et Eccl. Doct.

Anglorum Apostoli

(In tota Anglia et Cambria)

Missa ut in Missali hac die.

DIE 13 MARTII

B. AGNELLI A PISIS Confessoris

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátum Agnéllum a sæculi illécebris absolútum, ad tuæ crucis sequélam transíre fecísti: fac nos ita ejus inhærére vestígiis; ut, quam in cælis accépit, glóriæ corónam obtinére mereámur: Qui vivis.

DIE 18 MARTII

S. EDUARDI Regis, Mart.

(In Diœc. Plymutensi)

Missa Lætábitur, de Comm. unius Mart. non Pont. 2 loco, præter seq.:

Oratio

Deus, ætérne triumphátor impérii, famíliam tuam beáti Eduárdi Regis et Mártyris tui memóriam celebrántem, propítius réspice: ejúsque méritis et intercessióne concéde; ut, cujus gloriátur triúmphis, assequátur et præmia. Per Dóminum.

Evangelium Si quis vult, ex Missa Sacerdótes Dei, de Comm. unius Mart. Pont. 2 loco.

DIE 20 MARTII

S. CUTHBERTI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad. et Novoc., Salop., Liverpolit. et Lancastren.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont., præter Orationes seq.:

Oratio

Deus, qui per inæstimábile munus grátiæ tuæ Sanctos tuos gloriósos facis esse: præsta, quæsumus; ut, interveniénte beáto Cuthbérto Confessóre tuo atque Pontífice, mereámur ad culmen virtútum perveníre. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quæsumus, hóstiam redemptiónis humánæ: et, intercessióne beáti Cuthbérti Confessóris tui atque Pontíficis, salútem nobis mentis et córporis placátus operáre. Per Dóminum.

Postcommunio

Sancta tua, quæsumus, Dómine, quæ súmpsimus, nos sua virtúte tueántur: et, intercedénte beáto Cuthbérto Confessóre tuo atque Pontífice, cujus vita gloriósa effúlsit, in pace nos et sanctitáte custódiant. Per Dóminum.

DIE 28 MARTII

S. STEPHANI Abb. et Conf.

(In Diœc. Plymuten.)

Missa Os justi, de Comm. Abb., præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, cujus múnere beátus Stéphanus Abbas, ut perféctus esset, ómnia relíquit: da cunctis evangélicæ perfectiónis sémitam ingréssis; ut nec retro respíciant, nec in via hæreant, sed ad te sine offensióne curréntes vitam ætérnam, ad quam vocáti sunt, apprehéndant. Per Dóminum.

DIE 30 MARTII

S. OSBURGÆ Virginis

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa Dilexísti, de Comm. Virg. 3 loco.

DIE 2 APRILIS

B. JOANNIS PAYNE Martyris

(In Diœc. Northanton.)

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco; vel T. P. Missa Protexísti, de Comm. 1 loco, cum Orationibus ex Missa In virtúte.

DIE 3 APRILIS

B. JOANNIS PAYNE Martyris

(In Diœc. Brentwooden.)

Missa ut heri, præter Orat. seq.:

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem in virtúte sanctíssimi nóminis Jesu triumpháre fecísti: fac nos, ejus intercessióne, in tui nóminis amóre ita roborári; ut nullis tentatiónibus a te umquam separémur. Per eúmdem Dóminum.

DIE 3 APRILIS

S. RICARDI Ep. et Conf.

(In Diœc. Birmingam., Westmonast., Southwarcen.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam méritis beáti Ricárdi Confessóris tui atque Pontíficis, fecísti miráculis coruscáre gloriósis : concéde nos fámulos tuos; ipsíus intercessióne, ad ætérnam beatitúdinis glóriam perveníre. Per Dóminum.

Secreta

Concéde, quæsumus, miséricors Deus : ut, intercedénte beáto Ricárdo Confessóre tuo atque Pontífice, óculis tuæ majestátis munus oblátum et grátiam nobis bene vivéndi obtíneat, et glóriam sempitérnam acquírat. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc sacrosáncta sumpta mystéria nobis efféctum, Dómine, cónferant salutárem : quorum beátus Ricárdus Conféssor tuus atque Póntifex, devótus éxstitit dispensátor. Per Dóminum.

DIE 17 APRILIS

S. STEPHANI Abb. et Conf.

(In Diœc. Westmonast.)

Missa ut supra, die 28 Martii. 8

DIE 19 APRILIS

S. ÆLPHEGI Ep. et Mart.

(In Diœc. Southwarc., Westmonast. et Portus Magni)

Missa Protexísti, de Comm. Martyrum Temp. Pasch., præter seq. :

Oratio

Deus, qui beátum Ælphégum devotíssimum tui nóminis Confessórem sacerdotáli dignitáte et martyrii palma decorásti : concéde propítius; ita nos apud te ejus intercessiónibus adjuvári, ut cum eo possímus in ætérna felicitáte lætári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 5

Fratres : Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis : qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant : quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte : et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron.

(In Diœc. Cliftonien.)

Oratio et Epist. ut in Missa præc.

Secreta

Hæc, Dómine, altári tuo múnera impósita bénedic ipse et súscipe : ut, intercessióne beáti Ælphégi Mártyris tui atque Pontíficis, nobis ad fructum profíciant utriúsque salútis. Per Dóminum.

Postcommunio

Sumpto, Dómine, sacraménto, tuam supplíciter deprecámur cleméntiam : ut, intercedénte beáto Ælphégo Mártyre tuo atque Pontífice, quod temporáliter gérimus, ad vitam capiámus ætérnam. Per Dóminum.

DIE 21 APRILIS

S. BEUNONIS Abbat.

(In Diœc. Menevien.)

Missa Os justi, de Comm. Abb.

DIE 23 APRILIS

S. GEORGII Martyris Patron. Princ. Angliæ

(In tota Anglia)

Missa ut in Missali eadem die, et in Anglia dicitur Credo per totam Oct.

DIE 24 APRILIS

S. MELLITI Ep. et Conf.

(In Diœc. Southwarc.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem Exáudi, e Missa Sacerdótes tui, de Comm. 2 loco.

(In Diœc. Westm. et Brentwood.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes omnes e Missa Sacerdótes tui, de Comm. 2 loco.

DIE 24 APRILIS

S. EGBERTI Confessoris

(In Diœc. Hagulstad. et Novoc.)

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, cujus Spíritu beátus Egbértus salútem sítiens, vários fídei præcónes in opus evangélicum destinávit : dírige, quæsumus, ejus intercedéntibus méritis, ad te tuórum corda servórum ; ut Spíritus tui fervóre concépto, et in fide inveniántur stábiles et in ópere efficáces. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Evangelium Designávit Dóminus, ut in Festo S. Marci Ev. die 25 Aprilis in Missali.

DIE 27 APRILIS

S. MACALDI Ep. et Conf.

(In Diœc. Liverpolit.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 30 APRILIS

IN OCTAVA S. GEORGII Martyris

(In tota Anglia)

Omnia ut in Festo ; et dicitur Credo.

DIE 4 MAJI

BEATORUM MARTYRUM ANGLIÆ ET CAMBRIÆ

(In tota Anglia et Cambria)

Introitus Ps. 78

Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum : posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam, allelúja, allelúja. Ps. ibid. Posuérunt morticínas servórum tuórum, escas volatílibus cæli : carnes sanctórum tuórum béstiis terræ. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátos Mártyres tuos Joánnem Pontíficem, Thomam, eorúmque Sócios veræ fídei summíque sacerdótii propugnatóres, inter Anglos omni ex órdine suscitásti : eórum méritis ac précibus concéde ; ut ejúsdem fídei professióne, unum omnes, sicut tuus rogávit Fílius, efficiámur et simus : Qui tecum vivit.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 12

Tantam habéntes impósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen : adspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum, qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem : ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis, advérsus peccátum repugnántes : et oblíti estis consolatiónis quæ vobis tamquam fíliis lóquitur dicens : Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quem enim díligit, Dóminus castígat : flagéllat autem omnem fílium, quem récipit. In disciplína perseveráte. Tamquam fíliis vobis offert se Deus : quis enim fílius quem non córripit pater? Quod si extra disciplínam estis, cujus partícipes facti sunt omnes :

ergo adúlteri et non fílii estis. Deínde patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, et reverebámur eos : non multo magis obtemperábimus Patri spiríṫuum, et vivémus ? Et illi quidem in témpore paucórum diérum secúndum voluntátem suam erudiébant nos : hic autem ad id quod útile est in recipiéndo sanctificatiónem ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúja. ℣. Ps. 115 Pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus. Allelúja.

Extra Tempus Paschale

Graduale Ps. 78 Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : et non erat qui sepelíret : facti sumus oppróbrium vicínis nostris, subsannátio et illúsio his qui in circúitu nostro sunt. ℣. Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito anticípent nos misericórdiæ tuæ.

Allelúja, allelúja. ℣. Nos autem pópulus tuus et oves páscuæ tuæ, confitébimur tibi in sæculum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 10

In illo témpore : Ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judæi, et dicébant ei : Quoúsque ánimam nostram tollis ? si tu es Christus, dic nobis palam. Respóndit eis Jesus : Loquor vobis, et non créditis : ópera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me : sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt : et ego cognósco eas, et sequúntur me : et ego vitam ætérnam do eis : et non períbunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus ómnibus est : et nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.

Offertorium Baruch. 3 Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, sed meménto manus tuæ et nóminis tui in témpore isto : quia tu es Dóminus Deus noster, et laudábimus te, Dómine, allelúja.

Secreta

Exáudi voces, Dómine, beatórum Mártyrum tuórum sub altáre tuum clamántium : et oblatiónibus nostris placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Sub altáre Dei audívi vocem occisórum dicéntium : Quare non deféndis sánguinem nostrum ? Et accepérunt divínum respónsum : Adhuc sustinéte módicum tempus, donec impleátur númerus fratrum vestrórum, allelúja.

Postcommunio

Cæléstì convívio refécti, quæsumus, Dómine Deus noster ; ut, intercedéntibus beátis Martyribus tuis, ad eorúmdem consórtium pervenire mereámur. Per Dóminum.

ORATIONES

dicendæ quotannis in Missa die 4 Maji in Diœcesibus Angliæ et Cambriæ

Oratio

Deus, qui nos ab Ecclésiæ nostræ nascéntis exórdio beátæ Maríæ Vírginis dotem, ac Petro Apostolórum Príncipi súbditos effecísti : concéde propítius ; ut in cathólicæ fídei firmitáte constánter eámdem beatíssimam Vírginem di-

ligere, atque in Petri obediéntia permanére valeámus. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Clementíssime Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, immaculátæ hujus hóstiæ oblatióne placátus, beáta María Vírgine cum Petro Apostolórum Príncipe intercedénte : ita pópuli hujus mentem illúmina et corda succénde ; ut in ea fide, quæ caritátem operátur, constans persevéret. Per Dóminum.

Postcommunio

Deus, qui gentem nostram, beátæ Maríæ Vírginis dotem, antíqua erga Petrum Apóstolum fidelitáte clarificásti : hujus sacrifícii virtúte ; eam in ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis afféctu, atque erga Apostólicam sedem obediéntia confírma. Per Dóminum.

DIE 6 MAJI

Pro Commemoratione

S. EADBERTI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad. et Novoc.)

Orationes ex Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 7 MAJI

S. JOANNIS DE BEVERLACO

Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad. et Novoc.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui præséntem diem beáti Joánnis Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte consecrásti : da Ecclésiæ tuæ digne de ejus solemnitáte gaudére ; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus adjuvémur et méritis. Per Dóminum.

Secreta

Suscípiat cleméntia tua, Deus, de mánibus nostris munus oblátum : et per sancti Confessóris tui Joánnis Epíscopi oratiónes ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Postcommunio

Sanctificáti, Dómine, salutáribus mystériis, quæsumus : ut pro nobis beáti Joánnis Confessóris tui atque Pontíficis non desit orátio, cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

DIE 11 MAJI

BB. JOANNIS ROCHESTER, JACOBI WALWORTH

Monachorum Carthusiensium et SOC. Martyrum

(In Diœcesibus Loidensi et Medioburgensi)

Introitus Ps. 144

Sancti tui, Dómine, benedícent te : glóriam regni tui dicent, allelúja, allelúja. Ps. ibid. Exaltábo te, Deus meus rex : et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi. ℣. Glória Patri.

Oratio

Magníficet te, Dómine, beatórum Joánnis, Jacóbi et Sociórum Mártyrum sancta solémnitas : qua et illis glóriam sempitérnam, et opem nobis ineffábili providéntia contulísti. Per Dóminum.

Epistola Communicántes Christi passiónibus, ut supra 7.

Allelúja, allelúja. ℣. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium : et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúja. ℣. Ps. 115 Pretiósa in conspéctu Dómini, mors Sanctórum ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in ter-

ram : non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam : et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat fílium, aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam : et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me récipit : et qui me récipit, récipit eum, qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet : et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frígidæ tantum in nómine discípuli : amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

Offertorium Ps. 31 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi : et gloriámini, omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Secreta

In tuórum, Dómine, pretiósa morte justórum sacrifícium illud offérimus, de quo martyrium sumpsit omne princípium. Per Dóminum nostrum.

Communio Ps. 32 Gaudéte, justi, in Dómino, allelúja : rectos decet collaudátio, allelúja.

Postcommunio

Sit nobis, Dómine, hoc tuum sacraméntum pignus beatitúdinis ætérnæ : quæ beatórum Mártyrum tuórum Joánnis, Jacóbi et Sociórum méritis implorátur. Per Dóminum.

EADEM DIE 11 MAJI

Ss. BASSI et FABII Martyrum et LUCINÆ Matronæ Romanæ

(In Collegio S. Aloisii apud Ushaw)

Missa Sancti tui, de Comm. plurimorum Mm. Temp. Pasch.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Bassi, Fábii et Lucínæ solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Dicitur Credo.

Secreta

Oblátis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus : et, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Basso, Fábio et Lucína, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Basso, Fábio et Lucína, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

ITEM EADEM DIE 11 MAJI

B. JOANNIS HOUGHTON Martyris

(In Diœc. Brentwoodensi)

Missa Protexísti, de Comm. unius Mart. T. P., præter sequentia :

Oratio

Magníficet te, Dómine, beáti Joánnis Mártyris tui sancta solémnitas : qua et illi glóriam sempitérnam, et opem nobis ineffábili providéntia contulísti. Per Dóminum.

Epistola Communicántes, ut in Festo B. Joannis Larke Mart., die 11 Martii, ut supra. 7

Evangelium Nolíte arbitrári, e

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. extra Temp. Pasch. 3 loco.

Offertorium Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi, et gloriámini, omnes recti corde, allelúja.

Secreta

In tuórum, Dómine, pretiósa morte justórum sacrifícium illud offérimus, de quo Martyrium sumpsit omne princípium. Per Dóminum.

Postcommunio

Sit nobis, Dómine, hoc tuum sacraméntum pignus beatitúdinis ætérnæ : quæ beáti Joánnis Mártyris tui méritis implorátur. Per Dóminum.

ITEM EADEM DIE 11 MAJI

Bb. MARTYRUM CARTHUSIANORUM

(In Diœc. Westmonasteriensi)

Missa ut supra pro Festo Bb. Joannis Rochester et Soc. hac die, omisso in Orationibus nomine Jacóbi.

ITEM EADEM DIE 11 MAJI

S. ASAPHI Ep. et Conf.

(In Diœc. Menevien.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

DIE 11 VEL 13 MAJI

S. ERCONWALDI Ep. et Conf.

(In Diœc. Southwarc. [die 11], Westmon. et Brentwooden. [die 13])

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos beáti Erconwáldi Confessóris tui atque Pontíficis hodiérna festivitáte lætíficas : tuam súpplices exorámus cleméntiam ; ut, cujus solémnia devótis offíciis venerámur, ejus piis suffrágiis ætérnæ vitæ remédia consequámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Propitiáre, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris : et, intercedénte beáto Erconwáldo Confessóre tuo atque Pontífice, tuis sacraméntis cæléstibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde ; ut, purificánte nos grátia tua, eísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, divínis mystériis expiáti ; intercedénte beáto Erconwáldo Confessóre tuo atque Pontífice, ad supérni plenitúdinem sacraménti, cujus libávimus sancta, tendámus. Per Dóminum.

DIE 14 MAJI

B. RICARDI REYNOLDS Mart.

(In Diœc. Westmonasterien.)

Introitus Ps. 63

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo : et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja. Ps. ibid. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor : a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui inter exímios Apostólicæ Sedis Mártyres beátum Ricárdum benígne collocásti : da nobis ejus exémplo et intercessióne ; ut in fidéli ejúsdem Sanctæ Sedis obséquio peramánter vivámus et devotíssime moriámur. Per Dóminum.

Epistola Communicántes, supra. 7

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine ; étenim veritátem tuam in ecclésia Sanctórum. Allelúja. ℣. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

Evangelium Nisi granum fruménti, ut in Festo S. Laurentii Mart., die 10 Augusti in Missali.

Offertorium Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte deféртur. Per Dóminum.

Communio Joann. 12 Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit, allelúja.

Postcommunio

Reféсti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Ricárdo Mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum.

DIE 16 MAJI

S. SIMONIS STOCK Conf.

(In Diœc. Birmingamien., Northanton. et Southwarcen.)

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio

Plebs tibi, Dómine, Virginíque Matri dicáta, beáti Simónis solemnitáte lætétur: et sicut per eum tantæ protectiónis signum obtínuit; ita prædestinatiónis ætérnæ múnera consequátur. Per Dóminum.

DIE 19 MAJI

S. DUNSTANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Birmingamien., Cliftonien., Westmonast., Brentwooden. et Southwarcen.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui beátum Dunstánum Pontíficem tuum ad regna transtulísti cæléstia: da nobis per gloriósa ejus mérita ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, múnera supplicántis famíliæ tuæ: quæ tibi in beáti Dunstáni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus, precántes; ut, ejus patrocínio venerándo adjúti, deféndi mereámur ab ómnium inimicórum insídiis. Per Dóminum.

Postcommunio

Beáti Dunstáni Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, precatióne nos ádjuva, in cujus veneratióne tua contígimus sacraménta. Per Dóminum.

DIE 20 MAJI

S. ETHELBERTI Regis, Mart.

(In Diœc. Northant. et Cardiffen.)

Missa Protexísti, de Comm. unius Mart. Temp. Pasch. 1 loco, cum Orationibus e 3 loco.

DIE 21 MAJI

B. JOANNIS HAILE Mart.

(In Diœc. Brentwooden.)

Missa Protexísti, de Comm. unius Mart. Temp. Pasch. 1 loco, cum Orationibus e 4 loco.

DIE 24 MAJI

B. MARIÆ VIRGINIS AUXILIUM CHRISTIANORUM

(In Diœc. Salopien. et Menevien.)

Missa ut in Appendice Missalis pro aliquibus locis.

DIE 25 MAJI

S. ALDHELMI Ep. et Conf.

(In Diœc. Cliftonen. et Plymuten.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes seq.:

Oratio

Deus, qui hodiérna die sanctum tuum Pontíficem Aldhélmum ad ætérna sublimásti gáudia : illíus, quæsumus, méritis et précibus illuc nos tua perdúcat misericórdia. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Hujus tibi, Dómine, précibus nostra, quæsumus, grata reddátur oblátio, pro cujus est festivitáte immoláta. Per Dóminum.

Postcommunio

Solemnitátem, quæsumus, Dómine, beáti Pontíficis Aldhélmi celebrántibus adésto propítius, et nobis ejus méritis concéde gáudia cæléstia. Per Dóminum.

DIE 26 MAJI

S. AUGUSTINI Ep. et Conf. Anglorum Apostoli

(In tota Anglia et Cambria)

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent : propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David : et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátum Augustínum Pontíficem primum Doctórem pópulo concessísti Anglórum : tríbue nobis, quæsumus ; ut, cujus mérita prædicámus in terris, ejus suffrágia sentiámus in cælis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 7, 23-27

Fratres : Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére : Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum : semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus : qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli : hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale Ps. 131, 16-17 Sacerdótes ejus índuam salutári : et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David : parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja. ℣. Eccli 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic

dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. (T. P. Allelúja.)

Secreta

Grata tibi sint, quæsumus, Dómine, obláta múnera : quibus beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis mérita venerámur ; et nostra páriter recólimus insígnia libertátis et vitæ. Per Dóminum nostrum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio

Sancta tua, quæsumus, Dómine, quæ pro beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte libávimus, nos fóveant : quibus júgiter satiémur et semper desiderémus expléri. Per Dóminum nostrum.

(In Diœc. Brentwooden.)

Omnia ut in Missali die 28, præter Orationes ut supra.

(In Diœc. Birmingam., Hagulst. et Novoc., et Northant.)

Omnia, etiam Orationes, ut in Missali die 28 hujus.

DIE 28 MAJI

S. ALDHELMI Ep. et Conf.

(In Diœc. Southwarcen.)

Omnia ut supra die 25 hujus. 15

EADEM DIE 28 MAJI

B. MARGARITÆ POLE

Mart. non Virg.

(In Diœc. Birming., Clift., Westmon., Brentw. et Portus Magni)

Introitus Ps. 118

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar : et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Ps. ibid. Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátæ Margarítæ vitam virtúte spectábilem martyrii coróna decorásti : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut, nullis detérriti adversitátibus vitam nostram ac mortem tuo servítio dedicáre valeámus. Per Dóminum nostrum.

Reliqua ut in Missa Me exspectavérunt, de Comm. Mart. non Virg. 1 loco.

DIE 30 MAJI

S. ELEUTHERII Papæ et Martyris

(In Diœc. Westmonast. et Portus Magni)

Missa Si díligis me, de Communi unius Summi Pontificis.

DIE 31 MAJI VEL 1 JUNII

B. MARIÆ V. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS

(In Diœc. Hagulst. et Novocastren., Loiden. [die 31 Maji], Cardiffen. et Menevien. [die 1 Junii])

Missa Adeámus, ut in Suppl. Missalis pro aliquibus locis 31 Maji.

FERIA III INFRA HEBD. IV POST OCTAVAM PASCHÆ

IN TRANSLATIONE S. CEADDÆ Ep. et Conf.

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa ut in die Festo 2 Martii, ut supra. 6

DIE 5 JUNII

S. BONIFATII Ep. et Mart.

(In Diœc. Plymuten.)

Omnia ut in Missali die 5 Junii, præter Introitum sequentem :

Introitus

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Bonifátii Mártyris : de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 32, 1 Exsultáte justi in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Et dicitur Credo per totam Octavam.

DIE 7 JUNII

S. WILLIBALDI Ep. et Conf.

(In Diœc. Plymutensi)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

EADEM DIE 7 JUNII

S. ROBERTI Abbatis

(In Diœc. Hagulst. et Novoc.)

Missa Os justi, de Communi Abbatum.

DIE 8 JUNII

S. GULIELMI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad., et Novoc., Lancastren., Medioburgen., Loiden., Salforden., Liverpol. et Nottingam.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui nos beáti Guliélmi Confessóris tui atque Pontíficis méritis et intercessióne lætíficas : concéde propítius ; ut, qui ejus benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Múnera, Dómine, obláta sanctífica : et, intercedénte beáto Guliélmo Confessóre tuo atque Pontífice ; nos per hæc a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus : ut, quos tuis réficis sacraméntis, intercedénte beáto Guliélmo Confessóre tuo atque Pontífice ; tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deservíre. Per Dóminum nostrum.

DIE 9 JUNII

IN TRANSLATIONE S. EDMUNDI Ep. et Conf.

(In Diœc. Brentwooden. et Portus Magni, Westm. in Collegio S. Edmundi.)

Missa Gaudeámus, ut in Festo 16 Nov. 33, sed non dicitur Credo.

Tempore Pasch. loco Gradualis dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

Oratio

Deus, qui nos concédis beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis translatiónem cólere : da nobis ejus méritis et précibus ; ut a peccáti servitúte solúti, ad regni cæléstis gáudia transíre valeámus. Per Dóminum.

Secreta

Hæc múnera, Dómine, in benedictióne sanctífica, et præsta; ut beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne, nobis salutária reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio

Reffécti, Dómine, córporis et sánguinis tui mystériis te súpplices exorámus : ut, sicut beátum Edmúndum Confessórem tuum atque Pontíficem de hoc sæculo ad cæléstem glóriam transtulísti ; ita nos ejus translatiónem recoléntes, ejúsdem glóriæ partícipes esse mereámur : Qui vivis et regnas.

DIE 17 JUNII

S. BOTULPHI Abbatis

(In Diœc. Brentwooden., Northant. et Nottingam.)

Missa Os justi, de Comm. Abb.

DIE 19 JUNII

Bb. SEBASTIANI NEWDIGATE et HUMPHREII MIDDLEMORE Martyrum

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa Intret, de Comm. plur. Martyrum 1 loco, præter Orationes, Epistolam et Evangelium ut in Festo Bb. Joannis Rochester et Soc. Mm. die 11 Maji, ut supra 12, mutatis nominibus Joánnis, Jacóbi et Sociórum in Sebastiáni et Humphréii.

DIE 22 VEL 23 JUNII

S. ALBANI Britanniæ Protomartyris

(In tota Anglia et Cambria) [Brentw. die 23]

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, qui hunc diem beáti Albáni martyrio consecrásti : tríbue, quæsumus ; ut, cujus ánnuo gratulámur offício, ejus contínuo foveámur auxílio. Per Dóminum.

Evangelium Si quis vult, ex Missa Sacerdótes Dei, de eodem Comm. 2 loco.

Secreta

Sicut in beáti Albáni Mártyris tui veneratióne te mirábilem prædicámus : sic apud cleméntiam tuam, Dómine, per hæc piæ placatiónis offícia pro nobis, quæsumus ; ipse pius intervéntor exsístat. Per Dóminum.

Postcommunio

Ut tua nos, Dómine, sacraménta purgent a crímine, et in caritátis tuæ fervóre consérvent : sanctam majestátem tuam, quæsumus ; beátus Martyr Albánus semper exóret. Per Dóminum.

In Diœc. Lancastr., Salf., Liverpol., Menevien. et Cardiff. dicitur Evangelium Si quis venit, ex Missa Státuit, de eodem Comm. 1 loco.

In Diœc. Birmingamien. et Clift. dicitur Evangelium Nolíte arbitrári, ex Missa In virtúte, de eodem Comm. 3 loco.

DIE 23 JUNII

S. ETHELDREDÆ Virg.

(In Diœc. Hagulstaden., Liverpol., Birmingamien., Northant. et Westmonast.)

Missa Dilexísti, de Comm. Virg. 3 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui nos beátæ Etheldrédæ Vírginis tuæ ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus integritátis irradiámur exémplis, ejus méritis adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

DIE 27 JUNII

B. M. V. sub Titulo

DE PERPETUO SUCCURSU

(In Diœc. Loid. et Mediob.)

Missa Gaudeámus, ut in Appendice Missalis pro aliquibus locis, præter Orationem sequentem :

Oratio

Omnípotens et misericors Deus, qui dedísti nobis beatíssimæ Genitrícis tuæ Imáginem de Perpétuo Succúrsu speciáli título venerári : concéde propítius; ita nos inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes contínua ejúsdem Immaculátæ sempérque Vírginis Maríæ protectióne muníri, ut ætérnæ tuæ redemptiónis præmia cónsequi mereámur : Qui vivis.

DIE 3 JULII

Ss. JULII et AARON Mm.

(In Diœc. Cardiff.)

Missa Salus autem, de Comm. plur. Mm. 3 loco.

DIE 4 JULII

Bb. JOANNIS CORNELII et SOC. ac HUGONIS GREEN Mm.

(In Diœc. Plymuten.)

Missa Salus autem, de Comm. plur. Mm. 3 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátos Mártyres Joánnem ejúsque Sócios, in cathólica fide defendénda usque ad mortem certántes, tua grátia roborásti : concéde ; ut, nos quoque nullis tentatiónibus concússi, in eádem fide stábiles inveniámur. Per Dóminum.

DIE 7 JULII

Pro Commemoratione

S. HEDDÆ Ep. et Conf.

(In Diœc. Birmingamien.)

Orationes ex Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

EADEM DIE 7 JULII

TRANSLATIO S. THOMÆ

Ep. et Mart.

(In Civitatibus tantum Cantuar. et Portus Magni)

Omnia ut in ejus Festo, die 29 Decembris in Missali, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui nobis translatiónem beáti Thomæ Mártyris tui atque Pontíficis, celebráre concédis : te súpplices exorámus ; ut, ejus méritis et précibus, a vítiis ad virtútes, et a cárcere transferámur ad regnum. Per Dóminum.

Secreta

Deus, qui panem et vinum in corpus tuum et sánguinem cæléstí benedictióne convértis : concéde nobis per mérita beáti Thomæ Mártyris tui atque Pontíficis ; ut, ad tuam misericórdiam reverténtes, tuo beneplácito conformémur : Qui vivis.

Postcommunio

Deus, qui beátum Thomam Mártyrem tuum atque Pontíficem a supplíciis ad gáudia translulísti : tríbue, quæsumus ; ut, qui translatiónem ejus venerámur in terris, per ejus patrocínium ad cæléstia transferámur. Per Dóminum.

DIE 9 JULII

Ss. JOANNIS FISHER Ep. et THOMÆ MORE Mm.

(In tota Anglia et Cambria)

Introitus Ps. 33, 20-21

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus : Dóminus custódit ómnia ossa eórum : unum ex his non conterétur. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore : semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátos Mártyres tuos Joánnem et Thomam, veræ fídei et Románæ Ecclésiæ principátus propugnatóres, inter Anglos suscitásti: eórum méritis ac précibus concéde; ut, ejúsdem fídei professióne, unum omnes in Christo efficiámur et simus. Per Dóminum.

Léctio libri Machabæórum.

2 Mach. 6, 18-28

In diébus illis: Eleázarus, unus de primóribus scribárum, vir ætáte provéctus, et vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, voluntárie præíbat ad supplícium. Intuens autem quemádmodum oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant, iníqua miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secréto, rogábant afférri carnes quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus, ut hoc facto a morte liberarétur: et propter véterem viri amicítiam hanc in eo faciébant humanitátem. At ille cogitáre cœpit ætátis suæ eminéntiam dignam, et ingénitæ nobilitátis canítiem, atque a púero óptimæ conversatiónis actus; et secúndum sanctæ et a Deo cónditæ legis constitúta, respóndit cito, dicens præmítti se velle in inférnum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fíngere, ut multi adolescéntium arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum transísse ad vitam alienigenárum, et ipsi propter meam simulatiónem, et propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiántur; et per hoc máculam et exsecratiónem meæ senectúti conquíram. Nam, etsi in præsénti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis nec vivus nec defúnctus effúgiam. Quam ob rem fórtiter vita excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo, adolescéntibus autem exémplum forte relínquam, si prompto ánimo ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honésta morte perfúngar. His dictis, conféstim ad supplícium trahebátur.

Graduale Ps. 33, 6-16 Accédite ad eum et illuminámini, et fácies vestræ non confundéntur. ℣. Oculi Dómini super justos, et aures ejus in preces eórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 17, 3 Hæc est vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et, quem misísti, Jesum Christum. Allelúja.

In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 17, 3 Hæc est vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti, Jesum Christum. Allelúja. ℣. Ps. 33, 6 Accédite ad eum et illuminámini, et fácies vestræ non confundéntur. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 10, 23-28

In illo témpore: Ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judæi, et dicébant ei: Quoúsque

ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respóndit eis Jesus: Loquor vobis, et non créditis. Opera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me. Sed vos non créditis, quia non estis de óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt et ego cognósco eas, et sequúntur me: et ego vitam ætérnam do eis, et non períbunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus ómnibus est, et nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus.

Secreta

Oblatiónibus nostris, quæsumus, Dómine, placátus inténde: ut, Mártyrum tuórum interveniénte suffrágio, grátiæ tuæ nobis dona concéde. Per Dóminum.

Communio Joann. 10, 27, 28 Oves meæ vocem meam áudiunt, et ego cognósco eas, et sequúntur me: et ego vitam ætérnam do eis, et non períbunt in ætérnum.

Postcommunio

Cæléstí convívio refécti, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedéntibus beátis Martyribus tuis Joánne et Thoma, ad eórum consórtium perveníre mereámur. Per Dóminum.

MISSA VOTIVA IN HONOREM S. JOANNIS FISHER
Episcopi et Martyris

Missa Státuit, de Comm. unius Mart. Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui beáto Pontífici tuo Joánni pro veritáte et justítia magno ánimo vitam profúndere tribuísti: da nobis ejus intercessióne et exémplo; vitam nostram pro Christo in hoc mundo pérdere ut eam in cælo inveníre valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Clementíssime Deus, múnera hæc tua benedictióne perfúnde: et nos in ea fide confírma, quam beátus Joánnes Martyr et Póntifex tuus, effúso sánguine, proclamávit. Per Dóminum.

Postcommunio

Spíritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cæléstis: quæ beáti Joánnis Mártyris tui atque Pontíficis vitam pro Ecclésiæ honóre júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

MISSA VOTIVA IN HONOREM S. THOMÆ MORE Mart.

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. non Pont. 3 loco, præter sequentia:

Oratio

Deus, qui beáto Thomæ Mártyri inter sæculi illécebras et cárceris mortísque dolóres hílari fortíque ánimo crucem tuam ampléctí tribuísti: concéde, quæsumus, ejus intercessióne et exémplo, ut pro fide et justítia alácriter decertántes, ad ætérna gáudia læti perveníre mereámur. Per Dóminum.

Epistola Eleázarus, ut supra in Festo.

Secreta

Hoc sacrifícium redemptiónis nostræ, quæsumus, omnípotens Deus, cleménter réspice; et intercedénte beáto Thoma Mártyre

tuo, pro hac família tua placátus assúme. Per Dóminum.

Postcommunio

Sint tibi, omnípotens Deus, grata nostræ servitútis obséquia : ut hæc sancta quæ súmpsimus, intercedénte beáto Thoma Mártyre tuo, nobis ad capesséndа pérpetis vitæ præmia profícere sentiámus. Per Dóminum.

DIE 11 JULII

B. HADRIANI FORTESCUE Martyris

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa Vénditum, ut in Festo B. Thomæ Percy Mart. die 26 Augusti, infra 26, mutato nomine Thomam in Hadriánum.

EADEM DIE 11 JULII

B. OLIVERII PLUNKET Ep. et Mart.

(In Diœc. Cliftonen.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui pro tuénda cathólica fide beátum Olivérium Mártyrem tuum atque Pontíficem, admirábili spíritus fortitúdine imbúere dignátus es : concéde nobis ; ejus intercessióne et exémplo, ut ipsíus in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Secreta

Clementíssime Deus, múnera hæc tua benedictióne perfúnde, et nos in fide confírma : quam beátus Olivérius Martyr et Póntifex tuus immáni supplícii génere adséruit. Per Dóminum.

Postcommunio

Spíritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cæléstis : quæ beáti Olivérii Mártyris tui atque Pontíficis, vitam pro Ecclésiæ honóre júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

DIE 15 JULII

S. SWITHUNI Ep. et Conf.

(In Diœc. Southwarc. et Portus Magni)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui hodiérnam diem honorábilem nobis in beáti Swithúni Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte fecísti : da Ecclésiæ tuæ in hac celebritáte lætítiam ; ut, cujus solemnitátem venerámur in terris, ejus intercessióne sublevémur in cælis. Per Dóminum.

Secreta

Réspice, quæsumus, Dómine, pópulum tuum ad tua sacraménta curréntem, in præsénti festivitáte beáti Swithúni Confessóris tui atque Pontíficis : et concéde ; ut, ipso intercedénte, quod in honóre tui nóminis obtulérunt, cunctis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Postcommunio

Pignus vitæ ætérnæ capiéntes, Dómine, humíliter implorámus : ut, intercedénte beáto Swithúno Confessóre tuo atque Pontífice, quod in imágine contíngimus sacraménti, manifésta participatióne sumámus. Per Dóminum.

DIE 16 JULII

Pro Commemoratione

S. HELERII Mart.

(In Diœc. Portus Magni)

Oratio

Sancti Mártyris tui Helérii méritis et intercessióne, fac nos,

quæsumus, Dómine, sæculi labéntis adversitátes superáre: et ad consórtium supérnæ civitátis perveníre gaudéntes. Per Dóminum.

Secreta et Postcommunio ex Missa Lætábitur, de Comm. unius Mart. 4 loco.

DIE 17 JULII

APPARITIONIS SACRÆ IMAGINIS SANCTÆ MARIÆ IN PORTICU

(In Diœc. Cardiff. et Menevien.)

Introitus Cant. 6, 9

Quæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Ps. 18 Cæli enárrant glóriam Dei, et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui Genitrícem dilécti Fílii tui, Matrem nobis dedísti, ejúsque speciósam Imáginem mira apparitióne clarificáre dignátus es: concéde, quæsumus; ut, ejúsdem Vírginis intercessióne a quovis erépti perditiónis incúrsu, secúndum cor tuum vívere, et ad cæléstem pátriam felíciter perveníre valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli 24, 11-16

In ómnibus réquiem quæsívi et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

Graduale Ps. 44, 13, 15 et 16 Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis, adducéntur Regi Vírgines post eam, próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Judith 13, 25 Quia hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Allelúja, allelúja. ℣. Esther 15, 3 Et tu ínvoca Dóminum, et lóquere regi pro nobis, et líbera nos de morte. Allelúja.

In Missis votivis Tempore Paschali dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Num. 17 Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et hóminem génuit. Pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja. ℣. Luc. 1, 28 Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et ℣. sequenti, dicitur

Tractus Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti. ℣. Dum Virgo Deum et hóminem genuísti: et post partum Virgo invioláta permansísti. ℣. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas: extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. At ille dixit: Quinímmo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Credo.

Offertorium Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta

Accipe, quæsumus, Dómine, múnera in hac sacra commemoratióne dignánter obláta : et beátæ Maríæ Vírginis suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium perveníre concéde. Per Dóminum.

Præfatio de B.M.V. Et te in Festivitáte.

Communio Regína mundi digníssima, María Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum Salvatórem ómnium.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta : præsta, quæsumus ; ut, beáta María semper Vírgine intercedénte, et temporális vitæ nobis remédia præbeant et ætérnæ. Per Dóminum.

EADEM DIE 17 JULII

Pro Commemoratione

S. KENELMI Regis, Mart.

(In Diœc. Cliftonen.)

Oratio

Omnípotens et misericors Deus, qui nobis præcláram hujus diéi lætítiam pro beáti Kenélmi Regis et Mártyris tui solemnitáte tribuísti : inténde serénus vota fidélis pópuli, et concéde ; ut, cujus hódie festa percólimus, ejus semper méritis et précibus sublevémur. Per Dóminum.

Secreta

Præséntibus, Dómine Deus, inténde munéribus : et patrocinánte beáto Kenélmo Mártyre tuo, cujus festa veneránda recensémus ; fidélibus salútis indulgéntiam cónferant, et æternitátis præmia dignánter acquírant. Per Dóminum.

Postcommunio

Percípiat, quæsumus, Dómine, plebs tua beáti Mártyris tui Kenélmi natalítia celebrándo cum exsultatióne lætítiam : et quam mensæ cæléstis refecísti edúlio, æternitátis tuæ fácias adsísti consórtio. Per Dóminum.

(In Diœc. Birmingamien.)

Orationes ex Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco.

DIE 28 JULII

S. SAMSONIS Ep. et Conf.

(In Diœc. Cardiff.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 30 JULII

B. EVERARDI HANSE

Martyris

(In Diœc. Northant.)

Missa Lætábitur, de Comm. unius Mart. 4 loco.

EADEM DIE 30 JULII

Bb. EDUARDI POWELL, RICARDI FEATHERSTONE et SOC. Mm.

(In Diœc. Cardiff. et Menevien.)

Missa Intret, de Comm. plur. Mm. 1 loco, præter Epistolam Exhibeámus, ut in Festo Ss. Abdon et Sennen Mm., 30 Julii, et cum Oratione sequenti :

Oratio

Beatórum Mártyrum paritérque Pontíficum Eduárdi, Ricárdi eorúmque Sociórum nos, quæsumus, Dómine, festa tueántur : et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

DIE 30 VEL 31 JULII VEL 3 AUGUSTI

S. GERMANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Plymut. [30 Julii], Portus Magni [Com., 31 Julii], Cardiff. et Menevien. [3 Aug.])

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

DIE 5 AUGUSTI

In Commemoratione

S. OSWALDI Regis, Mart.

(In Diœc. Nottingamen.)

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi jucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi Regis Martyrio consecrásti : da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum ; ut, cujus gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam ad mortem imitémur. Per Dóminum.

Secreta et Postcomm. ex Missa In virtúte, de Comm. Mart. 3 loco.

DIE 8, 9 VEL 11 AUGUSTI

S. OSWALDI Regis, Mart.

(In Diœc. Westmonast. [die 8], Hagulstad. et Novoc., Lancastren., Medioburgen. et Salopien. [die 9], Liverpol. [die 11])

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco, præter sequentia :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi jucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi Regis Martyrio consecrásti : da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum ; ut, cujus gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam ad mortem imitémur. Per Dóminum.

Evangelium Si quis vult, ex Missa Sacerdótes, de Communi 2 loco.

DIE 11 AUGUSTI

S. GERMANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Westmonasterien.)

Omnia ut supra, 25 die 30 Julii.

EADEM DIE 11 AUGUSTI

S. JOANNIS MARIÆ VIANNEY

Confessoris

(In Diœc. Lancastren.)

Omnia ut in Missali, die 9 Aug.

DIE 18 AUGUSTI

S. HELENÆ Imperatricis, Viduæ

(In Diœc. Brentwooden., Salfordien. et Liverpolit.)

Omnia ut in Appendice Missalis pro aliquibus locis eadem die.

DIE 26 AUGUSTI

B. THOMÆ PERCY Martyris

(In Diœc. Hagulst. et Novoc., Loid. et Mediob.)

Introitus Sap. 10, 13

Vénditum justum non derelíquit Dóminus, sed a peccatóribus liberávit eum ; et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni. Ps. 36, 18 Novit Dóminus dies immaculatórum : et heréditas eórum in ætérnum erit. ℣. Glória Patri.

Oratio

Effúnde super nos, quæsumus, Dómine, spíritum constántiæ et fortitúdinis, quo beátum Mártyrem tuum Thomam pro tuénda cathólica fide roborásti : ut eódem repléti, ad ejus glóriæ consórtium perveníre mereámur in cælis ; de cujus triumpháli agóne lætámur in terris. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1

Caríssimi : Omne gáudium existimáte, cum in tentatiónes várias incidéritis : sciéntes, quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet : ut sitis perfécti et íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat : et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans ; qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur, et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille, quod accípiat

áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua : Dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit : exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit : ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Graduale Ps. 78 Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum : posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Effudérunt sánguinem servórum tuórum tamquam aquam, et non erat qui sepelíret.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 36 Salus autem justórum a Dómino, et salvábit eos, quia speravérunt in eo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam : et nurum advérsus socrum suam : et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat fílium, aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam : et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me récipit : et qui me récipit, récipit eum, qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet : et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frígidæ tantum in nómine discípuli : amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

Offertorium Sap. 10 Certámen forte dedit illi ut vínceret. Dedit illi claritátem ætérnam.

Secreta

Múnera nostra, Dómine, benedictióne sua perfúndat Spíritus Sanctus : et nos in eádem fide constántes perfíciat ; quam beátus Martyr Thomas et vocis præcónio, et sánguinis effusióne testátus est. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Communio Joann. 15 Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Postcommunio

Tríbue nobis, Dómine, per hæc sancta quæ súmpsimus : beáti Thomæ zelum et constántiam imitári ; qui nos ad ætérna desidéria, et virtútis exémplo accéndit, et martyrio roborávit. Per Dóminum.

EADEM DIE 26 AUGUSTI

B. JOANNIS WALL Martyris

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa In virtúte, de Comm. unius Martyris 3 loco, præter Orationes ut in Missa præcedenti, mutato nomine Thomam in Joánnem.

DIE 31 AUGUSTI

S. AIDANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulst. et Novoc., Lancastr., Mediob., Liverpol., Salopien., Northant. et Portus Magni)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 1 SEPTEMBRIS

B. HUGONIS MORE Martyris

(In Diœc. Nottingamen.)

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco.

EADEM DIE 1 SEPTEMBRIS

S. SEBBI Regis, Conf.

(In Diœc. Brentwooden.)

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont. 2 loco, præter sequentia:

Oratio

Deus, qui beátum Sebbum terrénum principátum cælésti regno postpónere docuísti : ejus, quæsumus, imitatióne fac nos mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus perveníre. Per Dóminum.

Epistola Quæ mihi fuérunt lucra, ut in Festo S. Francisci de Paula Conf. die 2 Aprilis in Missali.

Evangelium Si quis venit ad me, ex Missa Státuit, de Comm. unius Mart. 1 loco.

DIE 3 SEPTEMBRIS

Ss. HILDELITHÆ et CUTHBERGÆ Virginum

(In Diœc. Brentwooden.)

Missa Vírgines, de Comm. plur. Virg. in Missali pro aliquibus locis, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui exímiæ castitátis privilégio fámulas tuas Hildelítham et Cuthbérgam multiplíciter decorásti : da nobis fámulis tuis, eárum promerénte intercessióne, salútem mentis et córporis ; ut, sicut eárum festívitas nobíscum ágitur in terris, ita per eárum intervéntum desidérium nostrum ad te semper habeátur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Secreta et Postcommunio ex 2 loco.

DIE 4 SEPTEMBRIS

TRANSLATIO S. CUTHBERTI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad. et Novoc.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus : ut, qui beáti Cuthbérti Confessóris tui atque Pontíficis translatiónis diem venerámur ; per ipsíus suffrágia pietátis tuæ semper benefícia consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Hæc múnera, quæsumus, Dómine, beáti Cuthbérti Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne sanctífica : et nos fámulos tuos a peccatórum ómnium máculis cleménter emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio

Ut hæc commúnio nos, Dómine, tibi dignos effíciat : beátus Cuthbértus Conféssor et Póntifex tuus, cujus translatiónis diem venerámur, suffrágiis, quæsumus, suæ intercessiónis obtíneat. Per Dóminum.

DIE 6 SEPTEMBRIS

S. BEGÆ Virginis

(In Diœc. Lancastren.)

Missa Dilexísti, de Comm. 3 loco.

DIE 11 SEPTEMBRIS

S. DANIELIS Ep. et Conf.

(In Diœc. Menevien.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 16 SEPTEMBRIS

S. NINIANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad. et Novoc. et Lancastren.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

EADEM DIE 16 SEPTEMBRIS

Pro Commemoratione

S. EDITHÆ Virginis

(In Diœc. Cliftonien.)

Oratio

Deus, qui fidélibus tuis castitátis exémpla præbuísti, dum de Vírgine Fílium tuum Dóminum nostrum nasci voluísti : sanctæ Edithæ Vírginis tuæ précibus nobis mentis et córporis tríbue puritátem ; per quam a te nobis promíssam percipiámus felicitátem. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Super hanc oblatiónem nostram, quæsumus, Dómine, benedíctio tua descéndat : et ut ipsi tibi hóstia placábilis afficiámur, sancta Editha apud te obtíneat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Spirituális mensæ, Dómine, participátio nobis mentis et córporis fiat salvátio : et sanctæ Edithæ Vírginis tuæ tibi nos comméndet supplicátio. Per Dóminum.

DIE 19 VEL 26 SEPTEMBRIS

S. THEODORI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad. [Com.], Westmonast., Salford., Brentwood., Lancastr. [26] et Southwarc.)

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pont. 1 loco.

DIE 25 SEPTEMBRIS

S. CADOCI Ep. et Mart.

(In Diœc. Cardiff. et Menevien.)

Missa Státuit, de Comm. unius Mart. Pont.

DIE 30 SEPTEMBRIS

Pro Commemoratione

S. HONORII Ep. et Conf.

(In Diœc. Notting. et Southwarc.)

Orationes ex Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 3 VEL 5 OCTOBRIS

S. THOMÆ HEREFORDIENSIS Ep. et Conf.

(In Diœc. Salopien. [3], Birmingamien. [Com. die 3], Cardiff. et Salford. [5])

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont., præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Pontíficis Thomæ angélica puritáte et virtútum glória decorásti : concéde nobis fámulis tuis ; ut, ejus suffragántibus méritis, angelórum cum ipso mereámur agmínibus sociári. Per Dóminum.

DIE 8 OCTOBRIS

Pro Commemoratione

S. KEYNÆ Virginis

(In Diœc. Cliftonien.)

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Keynæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Secreta et Postcommunio ex Missa Me exspectavérunt, de Communi 2 loco, omissis verbis et Mártyris, et Mártyre.

DIE 10 OCTOBRIS

S. PAULINI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad., Lancastren., Medioburgen., Loiden., Liverpol., Notting. et Southwarc.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 12 OCTOBRIS

S. ÆDILBERGÆ Virg.

(In Diœc. Brentwooden.)

Missa Vultum tuum, de Comm. Virginum 4 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui nos beátæ Ædilbérgæ Vírginis tuæ ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus integritátis irradiámur exémplis, ejus quoque méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Evangelium Símile erit... decem virgínibus, de eodem Comm. 1 loco.

EADEM DIE 12 OCTOBRIS

S. WILFRIDI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad. et Novoc., Lancastren., Medioburgen., Loiden., Liverpol., Salopien., Birmingam., Northanton., Portus Magni, Southwarc. et Nottingam.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont., præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, cujus grátia beátus Wilfrídus Póntifex lúcidis meritórum signis excellénter effúlsit : præsta nobis propítius ; ut, ejus semper patrocínio muniámur, cujus doctrína ad appeténda cæléstia informámur. Per Dóminum.

Secreta

Purífica, quæsumus, omnípotens Deus, mentem famíliæ tuæ Sancti Spíritus tui illustratióne : ut per suffrágia beáti Wilfrídi Confessóris tui atque Pontíficis, accépta reddántur præséntia múnera nostræ devotiónis. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Postcommunio

Redemptiónis ætérnæ pábulo satiáti, súpplices, Dómine, tuam cleméntiam deprecámur : ut, beáti Wilfrídi Confessóris tui atque Pontíficis, intercedéntibus méritis, ætérna capiámus dona salútis. Per Dóminum.

DIE 13 OCTOBRIS

S. EDUARDI Regis, Conf.

(In tota Anglia et Cambria)

Missa ut in Missali eadem die.

DIE 19 OCTOBRIS

S. FRIDESWIDÆ vel FREDESWINDÆ Virginis

(In Diœc. Birmingamien.)

Missa Dilexísti, de Comm. Virg. 3 loco, cum Orationibus sequentibus :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, auctor virtútis et amátor virginitátis : da nobis, quæsumus, sanctæ Frideswídæ Vírginis tuæ plácitis tibi méritis commendári ; cujus vita mérito castitátis tibi complácuit. Per Dóminum.

Secreta

Offérimus tibi, Dómine, preces et múnera in honórem sanctæ Frideswídæ Vírginis tuæ gaudéntes : præsta, quæsumus ; ut et conveniénter hæc ágere, et remédium sempitérnum valeámus acquírere. Per Dóminum.

Postcommunio

Prosint nobis, Dómine, quæsumus, sumpta mystéria : paritérque nos, intercedénte beáta Vírgine tua Frideswída, et a peccátis éxuant, et præsídiis tuæ propitiatiónis attóllant. Per Dóminum.

DIE 21 OCTOBRIS

S. JOANNIS BRIDLINTONIENSIS Conf.

(In Diœc. Medioburgen.)

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum sanctórum tuórum méritis coæquásti : con-

céde propítius ; ut, qui commemoratiónis ejus Festa recólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

DIE 22 OCTOBRIS
S. THOMÆ HEREFORDIENSIS
Ep. et Conf.
(In Diœc. Westmonasterien.)
Omnia ut supra die 3 hujus. 29

DIE 24 OCTOBRIS
Pro Commemoratione
S. MAGLORII Ep. et Conf.
(In Diœc. Portus Magni)
Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

DIE 25 OCTOBRIS
S. JOANNIS DE BEVERLACO
Ep. et Conf.
(In Diœc. Liverpolit., Loiden. et Medioburgen.)
Omnia ut supra die 7 Maji. 12

DIE 26 OCTOBRIS
S. EATÆ Ep. et Conf.
(In Diœc. Lancastren.)
Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

DIE 29 VEL 30 OCTOBRIS
Bb. MARTYRUM COLLEGII DUACENSIS
(In Diœc. Westmonast. [29] et Hagulstad. et Novoc. [30])
Missa Deus, venérunt, ut in Festo Bb. Martyrum Angliæ et Cambriæ, supra, 10 sed omittitur Allelúja in Introitu, Offertorio et Communione, et dicuntur seq. :

Oratio

Excita in nobis, Dómine, Spíritum cui beáti Mártyres tui Duacénses serviérunt : ut, eódem nos repléti, studeámus amáre quod amavérunt, et ópere exercére quod docuérunt. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Graduale Ps. 78 Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : et non erat qui sepelíret : facti sumus oppróbrium vicínis nostris, subsannátio et illúsio his qui in circúitu nostro sunt. ℣. Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito antícipent nos misericórdiæ tuæ.

Allelúja, allelúja. ℣. Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, confitébimur tibi in sæcula. Allelúja.

Evangelium Atténdite a ferménto, ut in Missa Salus autem, de Comm. plurim. Martyrum 3 loco.

Secreta

Exáudi voces, Dómine, beatórum Mártyrum sub altáre tuum clamántium, et oblatiónibus nostris placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Cælésti convívio refécti, quæsumus, Dómine Deus noster, ut intercedéntibus beátis Martyribus tuis, ad eorúmdem consórtium perveníre mereámur. Per Dóminum.

DIE 3 NOVEMBRIS
S. WINEFRIDÆ Virg. et Mart.
(In Diœc. Salopien. et Menevien.)
Missa Me exspectavérunt, de Comm. Virg. 2 loco, præter seq. :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátam Winefrídam virginitátis præmio donásti : fac nos, quæsumus ; ejus intercessióne mundi hujus blandiménta postpónere, et cum ipsa perénnis glóriæ sedem obtinére. Per Dóminum.

Evangelium Símile erit... decem virgínibus, ut in Missa Loquébar, de Comm. Virg. 1 loco.

Secreta

Hóstias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius réspice : et intercedénte beáta Winefrída Vírgine tua et Mártyre, víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Postcommunio

Pláceant tibi, quæsumus, miséricors Deus, nostræ servitútis obséquia : ut mystéria sacrosáncta, quæ súmpsimus, intercedénte beáta Winefrída Vírgine tua et Mártyre, et tuam grátiam nobis concílient, et ætérnæ felicitátis gáudium subminístrent. Per Dóminum.

DIE 5 NOVEMBRIS

SACRARUM RELIQUIARUM

quæ in Ecclesiis Diœceseos asservantur

(In Diœc. Hagulstad.,Lancastren., Liverpol., Menevien., Birmingham., Cardiff., Westmonast., Brentwooden. et Portus Magni)

Missa ut in Appendice Missalis pro aliquibus locis eadem die.

DIE 6 NOVEMBRIS

S. ILLTUTI Abbatis

(In Diœc. Cardiff.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum.

DIE 7 NOVEMBRIS

S. WILLIBRORDI Ep. et Conf.

(In Diœc. Hagulstad. et Novoc.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

Oratio

Deus, qui ad prædicándam géntibus glóriam tuam, beátum Willibrórdum Confessórem tuum atque Pontíficem míttere dignátus es : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut, quæ nobis agénda præcipis, te miseránte adimplére possímus. Per Dóminum.

DIE 10 NOVEMBRIS

S. JUSTI Ep. et Conf.

(In Diœc. Southwarcen.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Exáudi, Dómine, pópulum tuum tibi mente subjéctum, et beáti Justi Confessóris tui atque Pontíficis supplicatióne custódi : ut, quod pie credit áppetat, et quod juste sperat fidéliter consequátur. Per Dóminum.

DIE 14 NOVEMBRIS

S. DUBRITII Ep. et Conf.

(In Diœc. Cardiff.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco.

EADEM DIE 14 NOVEMBRIS

Pro Commemoratione

Bb. HUGONIS COOK Faringdon. Abb. et SOCIORUM Mm.

(In Diœc. Portus Magni)

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui gloriósum Hugónem Abbátem ejúsque Sócios pro unitáte Ecclésiæ tuæ, Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus ; pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Secreta

Beáti Abbátis ac Mártyris tui, quæsumus, Dómine, Hugónis et Sociórum sit tibi grata conféssio : quæ et múnera nostra comméndet, et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum.

Postcommunio

Quæsumus, Dómine, ut beáti Mártyris tui Hugónis ejúsque Sociórum deprecatiónibus, sacraménta sancta, quæ súmpsimus, nobis ad mundi despéctum et ad

fidei firmitátem proficiant. Per Dóminum.

DIE 15 NOVEMBRIS
Bb. RICARDI et SOC. Mm.
(In Diœc. Cliftonen.)

Missa Salus, de Comm. plur. Mm. 3 loco, præter Orationem seq.:

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctis Martyribus tuis Ricárdo Sociísque ejus et patiéntiam tolerántiæ et in beáti fine certáminis dedísti triúmphum : da nobis sub patrónis tálibus constitútis et perpétua securitáte muníri, et salutári gaudére proféctu. Per Dóminum.

Secreta

Fiat, Dómine, quæsumus, hóstia sacránda placábilis pretiósi celebritáte martyrii, quæ et corda nostra puríficet et tuórum tibi vota concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio

Consecúti grátiam múneris sacri súpplices, Dómine, te rogámus ; ut, implorántibus pro nobis sanctis Martyribus tuis, divínæ virtútis efféctum quem corporáliter súmpsimus, spirituáliter sentiámus. Per Dóminum.

DIE 16 NOVEMBRIS
S. EDMUNDI Ep. et Conf.
(Ubique, exceptis Diœc. Hagulst., Lancastr., Notting., Cardiff. et Menevien.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes, quæ sumuntur de Missa Gaudeámus, ut infra.

(In Diœc. Brentwooden., Westmonast. et Portus Magni) dicitur sequens Missa :

Introitus

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Edmúndi : de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 32 Exsultáte, justi, in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui largíflue bonitátis consílio Ecclésiam tuam beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis, præcláræ vitæ méritis decorásti, et gloriósis lætificásti miráculis : concéde propítius nobis fámulis tuis ; ut et ipsíus in mélius reformémur exémplis, et ab ómnibus ejus patrocínio protegámur advérsis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli 50

Ecce sacérdos magnus qui in vita sua suffúlsit domum et in diébus suis corroborávit templum. Qui curávit gentem suam et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans et cypréssus in altitúdinem se extóllens. In accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis.

Graduale Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúja, allelúja. ℣. Hic Edmúndus pauper et módicus cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium Dómini tui.

Offertorium Ps. 88 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, précibus múnera tibi offerénda compláceant, et obláta nobis profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Communio Matth. 24 Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, suscéptis róbora sacraméntis : ut, sicut eas beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis novis dignátus es confortáre miráculis, sic étiam juváre suffrágiis, et illustráre dignéris exémplis. Per Dóminum.

DIE 17 NOVEMBRIS

S. HILDÆ Virginis

(In Diœc. Medioburgen.)

Missa Dilexísti, de Comm. Virg. 3 loco, præter sequentia :

Oratio

Concéde nos, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui ánnua beátæ Hildæ Vírginis tuæ solemnitáte lætámur, ipsa intercedénte ; a vetustáte in novitátem vitæ transferámur. Per Dóminum.

Graduale Ps. 44 Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem. ℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja. ℣. 2 Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne : despóndi vos uni viro, vírginem castam exhibére Christo. Allelúja.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, deférimus immolándas : quæ per mérita beátæ Vírginis Hildæ nos tuæ misericórdiæ reconciliátos, hóstiam vivam tibíque placéntem effíciant. Per Dóminum.

Postcommunio

Cæléstis convívii benedictióne percépta te, Dómine, deprecá-

mur : ut quod nobis est sacraméntum, intercedénte beáta Vírgine Hilda, cónferat salútis efféctum. Per Dóminum.

EADEM DIE 17 NOVEMBRIS

S. HUGONIS Ep. et Conf.

(In Diœc. Nottingham., Northanton., Birmingham., Clifton. et Westmonast.)

Missa Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter seq. :

Oratio

Deus, qui beátum Hugónem, Confessórem tuum atque Pontíficem, eminéntia meritórum et claritáte signórum excellénter ornásti : concéde propítius ; ut ejus exémpla nos próvocent, et virtútes illústrent. Per Dóminum.

Secreta

Obláta, quæsumus, Dómine, múnera beátus Hugo Conféssor tuus et Póntifex prosequátur : ut, méritis ejus adjúti, grátiam et glóriam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Nostræ servitútis obséquia, quæsumus, Dómine, beátus Hugo Conféssor tuus et Póntifex tibi reddat accépta : ne sacraménti cæléstis efféctum reátus noster a nobis exclúdat. Per Dóminum.

DIE 20 NOVEMBRIS

S. EDMUNDI Regis, Mart.

(In Diœc. Northanton. et Westmonast.)

Missa In virtúte tua, de Comm. unius Mart. non Pont., præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus ineffábilis misericórdiæ, qui beatíssimo Regi Edmúndo tribuísti inimícum pro tuo nómine moriéndo víncere : concéde propítius huic famíliæ tuæ ; ut, eo interveniénte, mereátur in se antíqui hostis incitaménta superándo exstínguere. Per Dóminum.

Secreta

Hoc sacrifícium redemptiónis nostræ, quæsumus, omnípotens Deus, cleménter réspice : et intercedénte beáto Edmúndo Rege et Mártyre tuo, pro hac família tua placátus assúme. Per Dóminum.

Postcommunio

Sint tibi, omnípotens Deus, grata nostræ servitútis obséquia : ut hæc sancta quæ súmpsimus, intercedénte beáto Edmúndo Rege et Mártyre tuo, prosint nobis ad capesénda præmia vitæ perpétuæ. Per Dóminum.

DIE 27 NOVEMBRIS

S. CUNGARI Abbatis

(In Diœc. Cliftonien.)

Missa Os justi, de Communi Abbatum.

INDEX ALPHABETICUS FESTORIUM

IMPRIMATUR

Mechliniæ, die 27 Martii 1947

† L. SUENENS, Vic. Gen.

Printed in Belgium

MECHLINIÆ H. DESSAIN

Pro Diœcesi Birmingamiensi.

DIE 19 MAJI

S. DUNSTANI Ep. et Conf.

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui beátum Dunstánum Pontíficem tuum ad regna cæléstia transtulísti : da nobis per gloriósa ejus mérita ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, múnera supplicántis famíliæ tuæ : quæ tibi in beáti Dunstáni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus, precántes; ut, ejus patrocínio venerándo adjúti, defféndi mereámur ab ómnium inimicórum insídiis. Per Dóminum.

Postcommunio

Beáti Dunstáni Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, precatióne nos ádjuva, in cujus veneratióne tua contígimus sacraménta. Per Dóminum.

Pro Diœcesi Cliftoniensi.

DIE 4 DECEMBRIS

S. OSMUNDI Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., præter sequentia :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos beáti Osmúndi Confessóris tui atque Pontíficis hodiérna festivitáte lætíficas : tuam súpplices exorámus cleméntiam ; ut, cujus solémnia devótis offíciis venerámur, ejus piis suffrágiis ætérnæ vitæ remédia consequámur. Per Dóminum.

Graduale Ps. 109, 44 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Ibid., 1 Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.

Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

Secreta

Propitiáre, Dómine, quæsumus, supplicatiónibus nostris : et, intercedénte pro nobis beáto Osmúndo Confessóre tuo atque Pontífice, his sacraméntis cæléstibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde ; ut, purificánte nos grátia tua, iísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20 et 21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi : ecce, ália quinque superlucrátus sum : Euge, serve fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, Dómine Deus noster : ut divínis mystériis expiáti, intercedénte beáto Osmúndo Confessóre tuo atque Pontífice, ad supérni plenitúdinem

sacraménti cujus libávimus sancta, tendámus. Per Dóminum.

DIE 19 JANUARII

S. WULSTANI Ep. et Conf.

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde : ut intercedénte beáto Wulstáno Confessóre tuo atque Pontífice, tuam mereámur dulcédinem in ætérna felicitáte gustáre. Per Dóminum nostrum... in unitáte ejúsdem.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, súpplicis famíliæ tuæ munus oblátum : et quod rea speráre non audet consciéntia ; intercedénte beáto Wulstáno, tua nobis largiátur indulgéntia. Per Dóminum.

Postcommunio

Salutáris tui, Dómine, mystério satiáti : súpplices implorámus cleméntiam tuam ; ut pro nobis ejus non desit orátio, cujus nos donásti gubernári patrocínio. Per Dóminum.

DIE 19 APRILIS

S. ÆLPHEGI Ep. et Mart.

Missa Protexísti, de Comm. Martyrum Temp. Pasch., præter sequentia :

Oratio

Deus, qui beátum Ælphégum Pontíficem tuum sacerdótii dignitáte et palma martyrii decorásti : concéde propítius ; ita nos apud te ejus intercessiónibus adjuvári, ut cum eo possímus in ætérna felicitáte lætári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.
Hebr. 5, 1-4

Fratres : Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis : qui condolére possit iis qui ignórant, et errant : quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte : et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Reliqua de Communi.

Secreta

Hæc, Dómine, altári tuo múnera impósita bénedic ipse et súscipe : ut, intercessióne beáti Ælphégi Mártyris tui atque Pontíficis, nobis ad fructum profíciant utriúsque salútis. Per Dóminum.

Postcommunio

Sumpto, Dómine, sacraménto, tuam supplíciter deprecámur cleméntiam : ut, intercedénte beáto Ælphégo Mártyre tuo atque Pontífice, quod temporáliter gérimus, ad vitam capiámus ætérnam. Per Dóminum.

DIE 4 MAJI

Bb. MARTYRUM ANGLIÆ

Duplex majus (ut in ceteris Diœcesibus.)

DIE 25 MAJI

S. ALDHELMI Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui hodiérna die sanctum Pontíficem tuum Aldhélmum ad ætérna sublevásti gáudia : ejus, quæsumus, méritis illuc nos tua per-

dúcat misericórdia. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Hujus tibi, Dómine, précibus nostra, quæsumus, grata reddátur oblátio, pro cujus est festivitáte immoláta. Per Dóminum.

Postcommunio

Solemnitátem, quæsumus, Dómine, sancti Pontíficis Aldhélmi celebrántibus adésto propítius: et nobis ejus méritis concéde gáudia vitæ cæléstis. Per Dóminum nostrum.

DIE 28 MAJI

B. MARGARITÆ POLE

Mart. non Virg.

Introitus Ps. 118, 46-47

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar : et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio

Bonórum ómnium, Deus, auctor atque largítor, qui ut humánum genus ad confessiónem tui nóminis provocáres, étiam in frágili perfecísti conditióne martyrium : præsta, quæsumus; ut Ecclésia tua, beátæ Margarítæ Mártyris exémplo commónita, nec pati pro te métuat et cæléstis præmii glóriæ concupíscat. Per Dóminum.

Reliqua ut in Missa Me exspectavérunt, de Comm. Mart. non Virg. 1 loco.

DIE 22 JUNII

S. ALBANI

Britanniæ Protomartyris

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, qui hunc diem beáti Albáni martyrio consecrásti : tríbue, quæsumus; ut, cujus ánnuo gratulámur offício, ejus contínuo foveámur auxílio. Per Dóminum.

Secreta

Sicut in beáti Albáni Mártyris tui veneratióne te mirábilem prædicámus : sic apud cleméntiam tuam, Dómine, per hæc piæ placatiónis offícia pro nobis, quæsumus ; ipse pius intervéntor exsístat. Per Dóminum.

Postcommunio

Ut tua nos, Dómine, sacraménta purgent a crímine: sanctam majestátem tuam, quæsumus ; beátus Martyr Albánus semper exóret. Per Dóminum.

DIE 11 JULII

B. OLIVERII PLUNKET

Ep. et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Mart. Pont. 1 loco cum Orationibus. 23

DIE 8 OCTOBRIS

Pro Commemoratione

S. KEYNAE Virginis

Oratio

Exáudi nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátæ Keynæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Keynæ Vírginis tuæ dicátas méritis, benígnus assúme : et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, intercedénte beáta Keyna Vírgine tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

DIE 16 NOVEMBRIS

S. EDMUNDI Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui largífluæ bonitátis consílio tuo Ecclésiam tuam beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis, præcláræ vitæ méritis decorásti, et gloriósis lætificásti miráculis : concéde propítius nobis fámulis tuis ; ut et ipsíus in mélius reformémur exémplis, et ab ómnibus ejus patrocínio protegámur advérsis. Per Dóminum.

Secreta

Beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, précibus múnera tibi offerénda compláceant, et obláta nobis profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, suscéptis róbora sacraméntis : ut, sicut eas beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis novis dignátus es confortáre miráculis, sic étiam juváre suffrágiis, et illustráre dignéris exémplis. Per Dóminum.

DIE 17 NOVEMBRIS

S. HUGONIS Ep. et Conf.

Missa Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui beátum Hugónem, Confessórem tuum atque Pontíficem, eminéntia meritórum et claritáte signórum excellénter ornásti : concéde propítius ; ut, ejus exémpla nos próvocent, et virtútes illústrent. Per Dóminum.

Secreta

Obláta, quæsumus, Dómine, múnera beátus Hugo Conféssor tuus et Póntifex prosequátur : ut, méritis ejus adjúti, per ea grátiam et glóriam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Nostræ servitútis obséquia, quæsumus, Dómine, beátus Hugo Conféssor tuus et Póntifex tibi reddat accépta : ne sacraménti cæléstis efféctum reátus noster a nobis exclúdat. Per Dóminum.

Pro Diœcesibus Westmonast. (die 8 Augusti), Hagulstad. et Novoc., Lancastren., Medioburgen. et Salopien. (die 9), Liverpol. (die 11)

S. OSWALDI Regis, Mart. (Westm. [die 8])

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco, præter sequentia :

Oratio P

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi jucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi

Regis martyrio consecrásti : da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum ; ut, cujus gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam ad mortem imitémur. Per Dóminum.

Com. Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. et, in Sabbato, Vigiliæ S. Laurentii, ut in Missali.

Evangelium Si quis vult, ex Missa Sacerdótes, de Communi 2 loco.

Secreta C 3

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis : et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Com. SS. Martyrum et, in Sabbato, Vigiliæ, ut in Missali.

Postcommunio C 3

Da, quæsumus, Dómine, Deus noster : ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum, temporáli gratulámur officio ; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Com. SS. Martyrum, ut in Missali; et, in Sabbato, Vigiliæ, ut infra :

Postcommunio C 2

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et, intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

In fine, etiam in Sabbato, legitur Evangelium S. Joannis In princípio.

(Hag. et Novoc. [die 9])

Missa In virtúte, ut supra, præter sequentia :

Oratio P

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi jucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi Regis martyrio consecrásti : da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum ; ut, cujus gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam ad mortem imitémur. Per Dóminum.

Commemorationes ut in Missali, die 9.

Evangelium Si quis vult, de Comm. 2 loco.

Secreta P

Múnera, quæsumus, Dómine, quæ in sancti Oswáldi Mártyris tui commemoratióne tuæ majestáti offérimus : propitiátus assúme ; et illam, quæ in eo flagrávit, fortem dilectiónem benígnus nobis inspíra. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut in Missali, die 9.

Postcommunio P

Vitáli alimónia recreáti, quæsumus, omnípotens Deus : ut tuam nobis justítiam placári, sancto Oswáldo Mártyre tuo interveniénte, sentiámus; cujus gloriósa certámina solémni devotióne venerámur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut in Missali, die 9.

In fine legitur Evangelium S. Joannis In princípio.

(Lancastr. [die 9])

Missa ut pro Diœc. Hagulstad. et Novoc., ut supra ; sed omittitur Comm. S. Joannis Mariæ, et dicuntur Secreta et Postcommunio ut infra :

Secreta C 4

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio : et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Postcommunio C 4

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Oswáldo Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

(Medioburg. et Salopien. [die 9])

Missa In virtúte, ut supra, præter sequentia :

Oratio P

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi jucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi Regis martyrio consecrásti : da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum ; ut, cujus gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam ad mortem mitémur. Per Dóminum.

Commemorationes ut in Missali, die 9.

Evangelium Si quis vult, de Comm. 2 loco.

Secreta C 3

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis : et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

2ª Secreta de S. Joanne Maria, 3ª de Vigilia, ut in Missali, 4ª de S. Romano, ut infra :

Secreta C 4

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio : et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Postcommunio C 3

Da, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício ; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum nostrum.

2ª Postcommunio de S. Joanne Maria, ut in Missali, 3ª de Vigilia S. Laurentii, ut infra :

Postcommunio C 4

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

4ª de S. Romano, ut in Missali.

In fine Evang. In princípio.

(Liverpol. [die 11])

Missa ut pro Diœc. Westm. [die 8], sed cum Commem. Ss. Tiburtii et Susannæ Mart. [die 11 in Missali.]

Pro Diœcesi Lancastrensi.

DIE 11 AUGUSTI

S. JOANNIS MARIÆ VIANNEY

Confessoris

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont., præter Orationes sequentes :

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quæsumus ; ut ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Super hanc illibátam hóstiam, omnípotens sempitérne Deus, descéndat invisíbilis plenitúdo Spíritus Sancti : et præsta ; ut, intercedénte sancto Joánne María, casto córpore et mundo corde ad tantum semper mystérium accedámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Postcommunio

Angelórum dape refécti, te, Dómine, deprecámur : ut, sicut

in fortitúdine hujus panis sanctus Joánnes María advérsa ómnia invícta constántia tolerávit ; ita nos, ejus méritis et imitatióne, de virtúte ad virtútem eúntes ad te felíciter perducámur. Per Dóminum.

Pro Diœcesi Medioburgen.

DIE 22 JUNII
S. ALBANI
Britanniæ Protomartyris

Missa ut in fol. 19, sed legitur Evangelium Si quis venit, de Comm. 1 loco.

Pro Diœcesi Nottinghamen.

DIE 1 SEPTEMBRIS
B. HUGONIS MORE
Martyris

Introitus Ps. 26, 10

Pater meus et mater mea dereliquérunt me : Dóminus autem assúmpsit me. Ps. ibid., 1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo ? ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátum Hugónem dira torménta superáre fecísti : concéde propítius ; ut cæléstis pátriæ amóre impúlsi, terrénis semper cæléstia anteférre valeámus. Per Dóminum.

Epistola, Graduale et Evangelium ex Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco.

Offertorium Num. 18, 20 Ego pars et heréditas tua in médio filiórum Israël.

Secreta

Múnera quæ, intercessióne beáti Hugónis Mártyris tui, tibi offérimus, quæsumus, Dómine, grata sint majestáti tuæ : et ut nobis prosint, benígne effícias. Per Dóminum.

Communio Apoc. 3, 21 Qui vícerit, dabo ei sedére in throno meo.

Postcommunio

Cælésti mystério sanctificáti, quæsumus, Dómine : ut beáti Hugónis exémplo edócti et oratióne suffúlti ; fidem nostram, nullis unquam minis pertérriti, fórtiter confiteámur. Per Dóminum.

Pro Diœcesibus Cardiff. et Menevien.

DIE 30 JULII
Bb. EDUARDI POWELL,
RICHARDI FEATHERSTONE
et SOC., Mm.

Missa Intret, de Comm. plur. Mm. 1 loco, præter Epistolam Exhibeámus, ut in Festo Ss. Abdon et Sennen Mm., 30 Julii, sed cum Orationibus de eodem Communi 2 loco, ut infra :

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Eduárdi, Richárdi, eorúmque Sociórum natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus : quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine : intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Eduárdo, Richárdo, eorúmque Sóciis ; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

IMPRIMATUR
Mechliniæ, die 28 Martii 1949
† L. SUENENS, Vic. Gen.

Imprimé en Belgique — Printed in Belgium

MECHLINIÆ, H. DESSAIN

KALENDARIUM FESTORUM

PRO

DIŒCESIBUS SCOTIÆ

FOL.

NOVEMBER

27. **Aberd., Dunk.** S. Fergusti E. C. d. 3*
30. **In tota Scotia.** S. ANDREÆ AP. Patron. Princ. Scotiæ. d. 1 cl. cum Oct. 3*

DECEMBER

1, 5. **In tota Scotia.** De Octava, sd.
7. **In tota Scotia.** Octava S. Andreæ Ap. dm. 3*

JANUARIUS

14. **In tota Scotia.** S. Kentigerni E. C. d. (**Glasg.** d. 1 cl. cum Oct.) 3*
19. **Aberd.** S. Nathalani E. C. d. 3*
Dunk. S. Fœlani Abb. d. 3*

FEBRUARIUS

17. **Ergad.** S. Finani E. C. d. 3*
18. **Ergad.** S. Colmani E. C. d. 4*

MARTIUS

8. **Aberd.** S. Duthaci E. C. d. 4*
10. **In tota Scotia.** B. Joannis Ogilvie M. dm. 4*
11. **Ergad.** S. Constantini M. d. 5*
17. **In tota Scotia.** S. Patricii E. C. dm. (**Glasg.** d. 2 cl.) 5*
20. **S. Andr.** S. Cuthberti E. C. d. 7*

APRILIS

16. **Aberd.** S. Magni M. d. 7*
17. **Ergad.** Ss. Donnani et Soc. Mm. d. 8*
21. **Aberd.** S. Malrubii Abb. d. 8*
24. **Ergad.** S. Egberti C. d. 8*

MAJUS

9. **S. Andr.** Translatio S. Andreæ Ap. dm. 9*

JUNIUS

9. **In tota Scotia.** S. Columbæ Abb. d. (**Dunk., Ergad.** d. 1 cl. cum Oct.) 10*
10. **Dunk., Ergad.** De Octava, sd.
Alibi. Feria.
25. **Ergad.** S. Luani Abb. d. 12*

FOL.

JULIUS

7. **Aberd.** S. Palladii E. C. d. 12*
9. **Aberd.** B. M. V. de Succursu, d. 1 cl. cum Oct. 12*
11. **Aberd., Ergad.** S. Drostani Abb. d. 12*

AUGUSTUS

9. **Ergad.** S. Oswaldi Reg. M. d. 12*
11. **S. Andr., Dunk., Ergad.** S. Blaani E. C. d. 13*
15. **Matr.** B. M. V. de Bono Auxilio, Tit. Eccl. Cath. d. 1 cl. cum Oct. 13*
31. **Ergad.** S. Aidani E. C. d. 13*

SEPTEMBER

1. **S. Andr.** S. Ægidii Abb. d. 14*
15. **Paslet.** S. Marini E. C. Tit. Eccl. Cath. d. 1 cl. cum Oct. 14*
16. **In tota Scotia.** S. Niniani E. C. d. (**Gallov.** d. 1 cl. cum Oct.) 14*
[16] **Paslet.** VII Dolorum B. M. V. d. 2 cl. (ex heri). Com. S. Niniani E. C. 14*
23. **Ergad.** S. Adamnani Abb. d. 15*

OCTOBER

12. **S. Andr. Ergad.** S. Canici Abb. d. 15*
13. **Aberd.** S. Comgani Abb. d. 15*
26. **Aberd.** S. Beani E. C. d. 15*

NOVEMBER

12. **Aberd.** S. Macharii E. C. d. 16*
16. **In tota Scotia.** S. MARGARITÆ Regin. et Vid. Patr. Scotiæ. d. 2 cl. 16*

S. Andr. = S. Andreæ et Edimburgensis.
Glasg. = Glasguensis.
Aberd. = Aberdonensis.
Dunk. = Dunkeldensis.
Ergad. = Ergadensis et Insularum.
Gallov. = Candidæ Casæ seu Gallovidiensis.
Matr. = Matrisfontis.
Paslet. = Pasletanæ.

MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM DIŒCESIUM SCOTIÆ

DIE 27 NOVEMBRIS

S. FERGUSTI

Ep. et Conf.

(In Diœc. Aberd. et Dunkeld.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, fac nos méritis sancti Fergústi Confessóris tui atque Pontíficis, per grátiam tuam in fide stábiles esse et in ópere efficáces ; ut per fidem rectam ad vitam, te miseránte, perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

DIE 30 NOVEMBRIS

S. ANDREÆ Apostoli

Patron. Princ. Scotiæ.

(In tota Scotia)

Missa ut in Missali eadem die, et dicitur Credo per totam Octavam.

DIE 7 DECEMBRIS

IN OCTAVA S. ANDREÆ Ap.

(In tota Scotia)

Omnia ut in Festo. Et dicitur Credo.

DIE 14 JANUARII

S. KENTIGERNI Ep. et Conf.

(In tota Scotia)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui per beátum Kentigérnum Confessórem tuum atque Pontíficem, veræ fídei lumen splendéscere fecísti : præsta, quæsumus ; ut cujus venerándam solemnitátem celebrámus, ejúsdem doctrínam fidéliter sectántes, ætérnæ claritátis glóriam consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Majestáti tuæ, quæsumus, Dómine, in honórem sancti Kentigérni Pontíficis hoc munus oblátum sanctífica ; ut tibi sit acceptábile nobísque salúbre. Per Dóminum.

Postcommunio

Divínis recreáti mystériis, quæ in sancti Kentigérni Pontíficis solemnitáte tuæ obtúlimus majestáti, te, Dómine, supplíciter exorámus ; ut cum ipso gáudiis ætérnis perfruámur. Per Dóminum.

DIE 19 JANUARII

S. NATHALANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Hac nos tibi, Dómine, júgiter mente devóta adhærére : ut intercessióne beáti Nathaláni Confessóris tui atque Pontíficis ; cum eódem perpétuas tibi laudes in glória decantáre mereámur. Per Dóminum.

EADEM DIE 19 JANUARII

S. FOELANI Abbatis

(In Diœc. Dunkelden.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum.

DIE 17 FEBRUARII

S. FINANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Ergaden.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Méntibus nostris, quæsumus, Dómine, glóriam tuæ laudis misericórditer infúnde : ut, intercedénte beáto Fináno Confessóre tuo atque Pontífice, ad eámdem tuam ineffábilem glóriam valeámus digne pertíngere. Per Dóminum.

DIE 18 FEBRUARII

S. COLMANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Ergaden.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, in tuo sancto servítio semper perseveráre : et beáti Colmáni Confessóris tui atque Pontíficis pia intercessióne, tibi digne in glória deservíre. Per Dóminum nostrum.

DIE 8 MARTII

S. DUTHACI Ep. et Conf.

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui sincére clamántes ad te, quamvis indígnos, exáudis : exáudi nos fámulos tuos ; ut intercessióne beáti Dutháci Confessóris tui atque Pontíficis, apud te per tuam misericórdiam mereámur habére mansiónem. Per Dóminum.

DIE 10 MARTII

B. JOANNIS OGILVIE Mart.

(In tota Scotia)

Introitus Coloss. 1, 24

Gáudeo in passiónibus pro vobis, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea, pro córpore ejus, quæ est Ecclésia. Ps. 26, 1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo ? ℣. Glória Patri.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Joánnem Mártyrem tuum invíctum fidei cathólicæ propugnatórem effecísti, ejus nobis intercessióne concéde: ut fídei, spei et caritátis augméntum ubérius in dies consequámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2 Cor. 1, 3-7

Fratres : Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra : ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis : ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur toleréntiam earúmdem passiónum quas et nos pátimur : ut spes nostra firma sit pro vobis sciéntes, quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 76, 4-7 Memor fui Dei, et delectátus sum, anticipavérunt vigílias óculi mei ; et meditátus sum nocte cum corde meo. ℣. Rom. 3, 18 Exístimo quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis.

Tractus Rom. 8, 35-37 Quis ergo nos separábit a caritáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an periculum? an persecútio? an gládius? ℣. Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. ℣. Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 12, 24-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam, et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur, et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium 2 Tim. 2, 9-10 Labóro in Evangélio usque ad víncula, quasi male óperans, sed verbum Dei non est alligátum: ídeo ómnia sustíneo propter eléctos.

Secreta

Grata tibi sit, Dómine, nostræ servitútis oblátio: quæ, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, sanctificatiónem nobis cleménter operétur. Per Dóminum.

Communio Matth. 16, 18 Dixit Dóminus ad Simónem: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, cæléstibus subsídiis, te humíliter deprecámur: ut nos sempitérnæ glóriæ tuæ, una cum beáto Joánne, partícipes éffici mereámur. Per Dóminum.

DIE 11 MARTII

S. CONSTANTINI Mart.

(In Diœc. Ergaden.)

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco, præter sequentia:

Oratio

Deus, qui beátum Constantínum Regem et Mártyrem tuum, gloriósæ passiónis suæ triúmpho mirífice decorásti: tríbue nobis, quæsumus; ex ejus imitatióne glóriam terrénam despícere, et cæléstia júgiter peramáre. Per Dóminum.

Evangelium Símile est regnum, ut in Missali pro Dominica in Septuagesima.

DIE 17 MARTII

S. PATRICII Ep. et Conf.

(In tota Scotia)

Introitus Gen. 12, 1-2

Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam. Ps. 104, 1 Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui ad prædicándam géntibus glóriam tuam, beátum Patrícium Confessórem atque Pontíficem míttere dignátus es: ejus méritis et intercessióne concéde; ut quæ nobis agénda præcipis, te miseránte, adimplére possímus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Rom. 10, 10-18

Fratres: Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scrip-

túra : Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim et distínctio Judæi, et Græci : nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt ? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt ? Quómodo autem áudient sine prædicánte ? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur ? sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona ! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro ? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt ? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Graduale Ps. 104, 17 et 19 Misit ante eos virum : in servum venúmdatus est Joseph. ℣. Donec veníret verbum ejus. Elóquium Dómini inflammávit eum.

Tractus Isai. 42, 6-8 Ego Dóminus vocávi te in justítia, et apprehéndi manum tuam, et servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium. ℣. Ut aperíres óculos cæcórum, et edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedéntes in ténebris. ℣. Ego Dóminus, hoc est nomen meum : glóriam meam álteri non dabo, et laudem meam sculptílibus.

In Missis votivis per annum, omisso Tractu, dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 104, 21 Constítuit eum dóminum domus suæ : et príncipem omnis possessiónis suæ. Allelúja.

Tempore Paschali, loco Gradualis, dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 104, 21 Constítuit eum dóminum domus suæ, et príncipem omnis possessiónis suæ. Allelúja. ℣. Et auxit pópulum suum veheménter : et firmávit eum super inimícos ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculos, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Gen. 15, 5 Edúxit eum foras, et ait illi : Súspice cælum, et número stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum.

Secreta

Acceptábilis tibi sit, Dómine exercítuum, hæc oblátio munda : quam tibi per beáti Patrícii labóres ab ortu solis usque ad occásum magno nómini tuo in géntibus offérri voluísti. Per Dóminum.

Communio Judith 15, 11 Manus Dómini confortávit te, et ídeo eris benedíctus in ætérnum.

Postcommunio

Deus, qui sacraméntum córporis et sánguinis tui in caritátis pignus inter omnes pópulos instituísti : concéde propítius; ut, quos divíno mystério consecrásti, iídem, beáto Patrício intercedénte, pacis et concórdiæ vínculis in dies arctióribus conjungántur : Qui vivis et regnas.

DIE 20 MARTII

S. CUTHBERTI
Ep. et Conf.

(In Diœc. S. Andr. et Edimb.)

Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, qui per inæstimábile munus grátiæ tuæ Sanctos tuos facis esse gloriósos : præsta, quæsumus ; ut, interveniénte beáto Cuthbérto Confessóre tuo atque Pontífice, mereámur ad culmen virtútum perveníre. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 9, 35-38

In illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes, et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis : quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam.

Secreta

Súscipe, Dómine, quæsumus, hóstiam redemptiónis humánæ : et intercessióne beáti Cuthbérti Confessóris tui atque Pontíficis, salútem nobis mentis et córporis placátus operáre. Per Dóminum.

Postcommunio

Sancta tua, quæ súmpsimus, Dómine, nos sua virtúte semper tueántur : et, intercedénte beáto Cuthbérto Confessóre tuo atque Pontífice, in pace nos et sanctitáte custódiant. Per Dóminum.

DIE 16 APRILIS

S. MAGNI Mart.

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Protexísti, de Comm. Mart. T. P. 1 loco, præter sequentia :

Oratio

Sancti Magni Mártyris tui, Dómine, mérita pretiósa nos tueántur : in quibus majestátis tuæ ópera prædicántes, et præsens capiámus auxílium páriter, et futúrum. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 4, 7-16

Justus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est non diutúrna, neque annórum número computáta : cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus : propter hoc

properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Pópuli autem vidéntes, et non intelligéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália : quóniam grátia Dei, et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus.

Evangelium Nólite arbitrári, ex Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco.

Secreta

Præséntia múnera, quæsumus, Dómine, seréna pietáte intuére : ut Sancti Spíritus perfundántur benedictióne, et in nostris córdibus eam dilectiónem válidam infúndant, per quam sanctus Martyr Magnus ómnia córporis torménta devícit. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, in sancti Mártyris tui Magni solemnitáte cæléstia sacraménta : cujus suffrágiis, quæsumus, largiáris ; ut quod temporáliter gérimus, ætérnis gáudiis consequámur. Per Dóminum.

DIE 17 APRILIS

Ss. DONNANI et SOC. Martyrum

(In Diœc. Ergaden.)

Missa Sancti tui, de Comm. Mart. T. P. 2 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Quæsumus, omnípotens sempitérne Deus : ut, qui ad te ánimas érigimus, nostræ juventútis delícta oblivísci ; et intercedéntibus beátis Martyribus tuis Donnáno et Sóciis ejus, si quidem negligénter delínquimus, cleménter ignóscere dignéris. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus : quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine : intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Donnáno et Sóciis ejus ; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE 21 APRILIS

S. MALRUBII Abbatis

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum.

DIE 24 APRILIS

S. EGBERTI Conf.

(In Diœc. Ergaden.)

Missa Os justi, de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia :

Introitus Joann. 8

Pater vester exsultávit ut vidéret diem meum : vidit et gavísus est, allelúja, allelúja. Ps. 4, 9-10 In pace in idípsum dórmiam et requiéscam : quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe constituísti me. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos beáti Egbérti Confessóris tui, ánnua solemnitáte lætíficas : dírige, quæsumus, ejus intercedéntibus méritis, ad te tuórum corda servórum ; ut Spíritus tui fervóre concépto et in fide inveniántur stábiles et in ópere efficáces. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Epistola Si linguis hóminum, ut in Missali pro Dominica in Quinquagesima.

Evangelium Videns Jesus, ut in Missali pro Festo Omnium Sanctorum, die 1 Nov.

Secreta

Concéde, quæsumus, Dómine, semper nos per hæc mystéria paschália gratulári : ut contínua nostræ reparatiónis, operátio perpétuæ nobis fiat causa lætítiæ. Per Dóminum.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde : ut quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

DIE 9 MAJI

TRANSLATIO S. ANDREÆ

Apostoli

(In Diœc. S. Andr. et Edimb.)

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus : nimis confortátus est principátus eórum, allelúja, allelúja. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me : tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos beáti Andréæ Apóstoli tui veneránda lætíficas translatióne : ejus intercessióne ad tuæ visiónis claritátem nos transférre dignáre. Per Dóminum nostrum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 5, 12-16, 40-42

In diébus illis : Per manus Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Ceterórum autem nemo audébat se conjúngere illis : sed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum ac mulíerum, ita ut in platéas ejícerent infírmos, et pónerent in léctulis ac grabátis, ut veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, et liberaréntur ab infirmitátibus suis. Concurrébat autem et multitúdo vicinárum civitátum Jerúsalem, afferéntes ægros, et vexátos a spirítibus immúndis : qui curabántur omnes. Et convocántes Apóstolos, cæsis denuntiavérunt ne omníno loqueréntur in nómine Jesu, et dimisérunt eos. Et illi quidem ibant gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. Omni autem die non cessábant, in templo et circa domos docéntes, et evangelizántes Christum Jesum.

Graduale Allelúja, allelúja. ℣. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis. Allelúja. ℣. Ps. 117, 16 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 4, 18-22

In illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare (erant enim piscatóres), et ait illis : Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi contínuo, relíctis rétibus, secúti sunt eum. Et procédens inde, vidit álios duos fratres, Jacóbum Zebedæi, et Joánnem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eórum, reficiéntes rétia sua : et vocávit eos. Illi autem statim relíctis rétibus et patre, secúti sunt eum. Credo.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine : et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

In sancti Apóstoli tui Andréæ, Dómine, translatióne, nos hæc oblátio pietáti tuæ reddat accéptos : ut sicut illum beáta retribútio, ita nos grátiæ tuæ comitétur miserátio. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Joann. 15, 5 Ego sum vitis, vos pálmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja.

Postcommunio

Impetret nobis, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ sancti Andréæ deprecátio : ut in cujus sunt translatióne devóti, fiant ejus perpétuæ societátis partícipes. Per Dóminum.

DIE 9 JUNII

S. COLUMBÆ Abbatis

(In tota Scotia)

Introitus Ps. 138, 9-10

Si súmpsero pennas meas dilúculo, et habitávero in extrémis maris : étenim illuc manus tua dedúcet me, et tenébit me déxtera tua. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me : tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio

Córdibus nostris, quæsumus, Dómine, cæléstis glóriæ inspíra desidérium, et præsta : ut in dextris illuc ferámus manípulos justítiæ ; ubi tecum sanctus corúscat Abbas Colúmba. Per Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 42, 1-12

Ecce servus meus, suscípiam eum : eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea : dedi spíritum meum super eum, judícium géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox ejus foris. Cálamum quassátum non cónteret, et linum fúmigans non exstínguet : in veritáte edúcet judícium. Non erit tristis, neque turbuléntus, donec ponat in terra judícium : et legem ejus ínsulæ exspectábunt. Hæc dicit Dóminus Deus, creans cælos, et exténdens eos : firmans terram, et quæ gérminant ex ea : dans flatum pópulo, qui est super eam, et spíritum calcántibus eam. Ego Dóminus vocávi te in justítia, et apprehéndi manum tuam, et servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium : ut aperíres óculos cæcórum, et edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedéntes in ténebris. Ego Dóminus, hoc est nomen meum : glóriam meam álteri non dabo, et laudem meam sculptílibus. Quæ prima fuérunt, ecce, venérunt : nova quoque ego annúntio : ántequam oriántur, audíta vobis fáciam. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus ab extrémis terræ : qui descénditis in mare, et plenitúdo ejus ; ínsulæ, et habitatóres eárum. Sublevétur desértum, et civitátes ejus : in dómibus habitábit Cedar : laudáte habitatóres Petræ, de vértice móntium clamábunt. Ponent Dómino glóriam, et laudem ejus in ínsulis nuntiábunt.

Graduale Sap. 2, 1 Diréxit Dóminus ópera servórum suórum in mánibus prophétæ sancti. ℣. Ibid., 2 Iter fecérunt per desérta, et in locis desértis fixérunt casas.

Allelúja, allelúja. ℣. Isai. 52, 7 Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem, annuntiántis bonum, prædicántis salútem. Allelúja.

Tempore Paschali, omisso Graduali, dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Isai. 52, 7 Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem, annuntiántis bonum, prædicántis salútem. Allelúja. ℣. Ponet in terra judícium, et legem ejus ínsulæ exspectábunt. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 139, 9-12 Si súmpsero pennas meas dilúculo, et habitávero in extrémis maris. ℣. Etenim illuc manus tua dedúcet me : et tenébit me déxtera tua. ℣. Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me: et nox illuminátio mea in delíciis meis. ℣. Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur: sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 9, 35-38; 10, 1-16

In illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes, et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni, et curans omnem languórem, et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis: quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Et convocátis duódecim discípulis suis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos, et curárent omnem languórem, et omnem infirmitátem. Duódecim autem Apostolórum nómina sunt hæc. Primus: Simon, qui dícitur Petrus, et Andréas frater ejus, Jacóbus Zebedæi, et Joánnes frater ejus, Philíppus, et Bartholomæus, Thomas, et Matthæus publicánus, Jacóbus Alphæi, et Thaddæus, Simon Cananæus, et Judas Iscariótes, qui et trádidit eum. Hos duódecim misit Jesus : præcípiens eis, dicens : In viam géntium ne abiéritis, et in civitátes Samaritanórum ne intravéritis: Sed pótius ite ad oves, quæ periérunt domus Israël. Eúntes autem prædicáte, dicéntes : Quia appropinquávit regnum cælórum. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite : gratis accepístis, gratis date. Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis vestris : Non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam : dignus enim est operárius cibo suo. In quamcúmque autem civitátem, aut castéllum intravéritis, interrogáte quis in ea dignus sit: et ibi manéte donec exeátis. Intrántes autem in domum, salutáte eam, dicéntes: Pax huic dómui. Et si quidem fúerit domus illa digna, véniet pax vestra super eam : si autem non fúerit digna, pax vestra revertétur ad vos. Et quicúmque non recéperit vos, neque audíerit sermónes vestros : exeúntes foras de domo vel civitáte, excútite púlverem de pédibus vestris. Amen dico vobis : Tolerabílius erit terræ Sodomórum, et Gomorrhæórum in die judícii, quam illi civitáti. Ecce, ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ.

Offertorium Eccli 12, 13 et 15 In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum: et ipse stans juxta aram, et circa illum coróna fratrum, oblátio autem Dómini in mánibus ipsórum. (T. P. Allelúja.)

Secreta

Múnera nostra, quæsumus, Dómine, propítius assúme: et ut digne tuis famulémur altáribus, semper nos sancti Colúmbæ Abbátis intercessióne custódi. Per Dóminum nostrum.

Communio 3 Reg. 19, 8 Comédit et bibit et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio

Córporis et sánguinis tui temporáli perceptióne refécti, te, Dómine, quæsumus: ut, intercedénte beáto Colúmba, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repleámur: Qui vivis et regnas.

DIE 25 JUNII

S. LUANI Abbatis

(In Diœc. Ergad.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum, præter Orationem sequentem:

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, précibus peténtium benígnus assíste: ut, interveniénte beáto Luáno Abbáte, grátiam tuam nobis infúndere dignéris; et vénia delictórum impetráta, réquiem cónsequi valéamus ætérnam. Per Dóminum.

DIE 7 JULII

S. PALLADII Ep. et Conf.

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui Scotórum pópulo beátum Palládium Pontíficem fídei cathólicæ Apóstolum páriter et Doctórem providísti: concéde nobis, quæsumus; ipsíus intervéntu tuam ineffábilem cónsequi misericórdiam, et vita, te donánte, pérfrui sempitérna. Per Dóminum.

Secreta

Múnera nostra, quæsumus, Dómine, in commemoratióne beáti Pontíficis et Confessóris tui Palládii obláta sanctífica: ut ad nostrárum profíciant salútem animárum. Per Dóminum.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, munéribus sacris, te súpplices deprecámur: ut eórum virtúte roboráti, beáti Palládii Pontíficis et Confessóris imitémur exémpla, et ad gáudia perveniámus ætérna. Per Dóminum.

DIE 9 JULII

B. MARIÆ VIRGINIS DE SUCCURSU

(VULGO DE ABERDEEN, MATRIS BONI SUCCESSUS)

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Salve, de Comm. Fest. B. M. V.

Et dicitur Credo per Octavam. Præfatio B. M. V. Et te in Festivitáte.

DIE 11 JULII

S. DROSTANI Abbatis

(In Diœc. Aberdon. et Ergaden.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum, præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui beátum Drostánum Confessórem tuum atque Abbátem, præcláris grátiæ tuæ decorásti munéribus: præsta, quæsumus; ut ad ea quæ eídem contulísti præmia, in cæléstibus æternáliter pertingámus. Per Dóminum.

DIE 9 AUGUSTI

S. OSWALDI Regis, Mart.

(In Diœc. Ergaden.)

Missa In virtúte, de Comm. unius Mart. 3 loco, præter sequentia:

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi jucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi regis martyrio consecrásti : da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum ; ut cujus gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam ad mortem imitémur. Per Dóminum.

Epistola Justus si morte, ut in Festo S. Magni, fol. 7*

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 12-21

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos : quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis : sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis : et fructus vester máneat : ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos odit, scitóte, quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo fuissétis, mundus, quod suum erat, dilígeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus. Mementóte sermónis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major dómino suo. Si me persecúti sunt, et vos persequéntur : si sermónem meum servavérunt, et vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum : quia nésciunt eum qui misit me.

Secreta

Múnera, Dómine, quæ in sancti Oswáldi Mártyris commemoratióne tuæ majestáti offérimus, propitiátus assúme : et eámdem qua ille flagrávit, dilectiónem nobis inspíra benígnus. Per Dóminum.

Postcommunio

Vitáli alimónia recreáti, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Oswáldi Mártyris précibus tuam nobis justítiam placáti sentiámus ; cujus gloriósa certámina solémni devotióne venerámur. Per Dóminum.

DIE 11 AUGUSTI

S. BLAANI Ep. et Conf.

(In Diœc. S. Andr., Dunk., Ergad.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Hac nos, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus : beáti Blaáni Confessóris tui atque Pontíficis intercessiónibus adjútos, tibi pura mente servíre. Per Dóminum.

DIE 15 AUGUSTI

B. MARIÆ VIRGINIS DE BONO AUXILIO

(In Diœc. Matrisfont.)

Omnia ut in Missali hac die pro festo Assumptionis B. M. V.

DIE 31 AUGUSTI

S. AIDANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Ergaden.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, qui beátum Aidánum Confessórem tuum atque Pontíficem ad ætérnæ beatitúdinis glóriam provexísti : ánnue, quæsumus, nobis fámulis tuis ; ea benígne adipísci in cælis, quæ strénue militándo perdócuit in terris. Per Dóminum.

Evangelium Designávit, ut infra pro Festo S. Niniani Episcopi et Confessoris.

DIE 1 SEPTEMBRIS

S. ÆGIDII Abbatis

(In Diœc. S. Andr. et Edimb.)

Omnia ut in Missali hac die.

DIE 15 SEPTEMBRIS

S. MARINI Ep. et Conf.

(In Diœc. Pasletana)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco; et dicitur Credo per Octavam.

DIE 16 SEPTEMBRIS

S. NINIANI Ep. et Conf.

(In tota Scotia)

Introitus Eccli 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis : et príncipem fecit eum : ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David : et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui pópulos Pictórum et Britónum, per doctrínam sancti Niniáni Epíscopi et Confessóris tui, ad tuæ fídei notítiam convertísti : concéde propítius ; ut, cujus eruditióne veritátis tuæ luci perfúndimur, ejus intercessióne cæléstis vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli 44, 16-27 et 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus, et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis : conservávit illi misericórdiam suam : et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum : et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum : et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et

dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Obláta servitútis nostræ múnera, Dómine, quæsumus, ánnua sancti Niniáni Epíscopi solémnitas comméndet accépta ; ut ejus pia supplicatióne muníti, cunctórum nostrórum delictórum véniam, et beatitúdinis sempitérnæ mereámur obtinére consórtium. Per Dóminum nostrum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Reféctos, Dómine, vitális alimóniæ sacraméntis, sancti Confessóris tui Niniáni Epíscopi gloriósa nos intercessióne prótege, et ad ætérnum cæléstis mensæ convívium concéde pervenire. Per Dóminum nostrum.

DIE 23 SEPTEMBRIS

S. ADAMNANI Abbatis

(In Diœc. Ergad.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui præséntem diem in beáti Adamnáni Confessóris tui atque Abbátis, honóre lætíficas : concéde nobis, quæsumus, ejus intercessióne et méritis ; ante conspéctum divínæ majestátis tuæ in glória lætári sempitérna. Per Dóminum nostrum.

DIE 12 OCTOBRIS

S. CANICI Abbatis

(In Diœc. S. Andr., Ergaden.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus omnípotens, cujus sérvitus summa et plena est felícitas : præsta, quæsumus ; ut beáti Cánici imitatióne, subjécti ínvicem in timóre Christi, quasi fílii obediéntiæ, líbera tibi caritáte in sanctitáte et justítia serviámus. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, preces et hóstias, quas tibi offérimus : et concéde ; ut beáti Cánici imitatióne, desidéria carnis spíritu mortificántes tibi soli serviámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Deus cordis nostri et pars nostra in ætérnum : hujus perceptióne sacraménti tríbue nobis, intercedénte beáto Cánico ; ut tibi uni adhæreámus in terris, a quo sperámus ætérnam hereditátem in cælis. Per Dóminum.

DIE 13 OCTOBRIS

S. COMGANI Abbatis

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Os justi, de Comm. Abbatum, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beátum Comgánum Confessórem præcláris decorásti miráculis : præsta, quæsumus ; ut ejus méritis patrociníisque suffúlti, ad cæléstia mereámur gáudia pervenire. Per Dóminum.

DIE 26 OCTOBRIS

S. BEANI Ep. et Conf.

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui prope es ómnibus invocántibus te in veritáte : doce nos per intercessiónem sancti Beáni Confessóris tui atque Pontíficis, te sincéro corde invocáre ; ut a te digne mereámur audíri. Per Dóminum.

DIE 12 NOVEMBRIS

S. MACHARII Ep. et Conf.

(In Diœc. Aberdonen.)

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes :

Oratio

Deus, qui beátum Machárium, Confessórem tuum atque Pontíficem, Ecclésiæ tuæ voluísti præésse pastórem : tríbue, quæsumus ; ut qui ejus natalítia cólimus, spe futúri gáudii non fraudémur. Per Dóminum.

Secreta

Purífica, quæsumus, omnípotens Deus, mentem famíliæ tuæ Spíritus Sancti illustratióne : ut per suffrágia beáti Machárii Confessóris tui atque Pontíficis, accépta tibi nostræ devotiónis præséntia múnera reddántur. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Postcommunio

Redemptiónis nostræ pábulo satiáti, súpplices, Dómine, tuam deprecámur cleméntiam : ut, beáti Machárii Confessóris tui atque Pontíficis intercedéntibus méritis, ætérnæ salútis dona capiámus. Per Dóminum.

DIE 16 NOVEMBRIS

S. MARGARITÆ REGINÆ

Viduæ

Patron. minus princ. Scotiæ

(In tota Scotia)

Introitus 1 Tim. 5, 10

In opéribus bonis testimónium habens, fílios educávit, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecúta est. Ps. 40, 2 Beátus qui intélligit super egénum et páuperem : in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam Regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti : da, ut ejus intercessióne et exémplo tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. 31, 10-31

Mulíerem fortem quis invéniet ? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum ; de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóri-

bus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum : et laudent eum in portis ópera ejus.

Graduale Eccli 26, 21-22 Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. ℣. Lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 10 Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : circúmdata varietáte. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur

Tractus Ps. 40, 4 Dóminus opem tulit illi super lectum dolóris ejus : univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus. ℣. Ps. 3, 9 Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in sæculum sæculi; cornu ejus exaltábitur in glória. ℣. Ibid., 2 Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur.

Tempore Paschali, loco Gradualis, dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 10; 14-15 Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : circúmdata varietáte. Allelúja. ℣. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, in fímbriis áureis circumamícta varietátibus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 13, 44-52

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro : quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi : exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis : ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc omnia ? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium Ps. 44, 11-12 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui. Et concupíscet rex decórem tuum : quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Secreta

Da nobis, quæsumus, Dómine, per hæc sancta sacrifícia, regnum tuum justitiámque ejus semper inquírere : pro cujus adeptióne sancta regína Margaríta falláces regni terréni pompas et illécebras despéxit. Per Dóminum.

Communio Prov. 31, 28 Surrexérunt filii ejus, et beatíssimam prædicavérunt : vir ejus, et laudávit eam.

Postcommunio

Infúnde nobis, Dómine, hujus virtúte sacraménti, sanctam amóris tui suavitátem : ut beátæ Margarítæ intercessióne, superátis ómnibus mundi impediméntis, tibi uni cum illa adhærére mereámur. Per Dóminum.

INDEX ALPHABETICUS FESTORUM

IMPRIMATUR

Mechliniæ, die 30 Martii 1949

FR. EVERAERT, VIC. GEN.

Printed in Belgium

MECHLINIÆ, H. DESSAIN